COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas prima.

Norimbergae a. d. II. JANVARII clɔ lɔcc XXXII.

I.



Elmstadii Excell. D. D. LAV. HEISTERVS edidit *designationem plantarum, quibus hoc anno MDCCXXXI. Hortum academiae Juliae auxit.* 8uo pl. 2. Patet inde Virum huncce, ad incrementa scientiarum natum, spatio duorum annorum duobus millibus plantarum hortum academicum locupletasse, et longe adhuc maiorem numerum seminum collegisse, quorum propagatio tamen ab iniuriis tempestatum, vndique ferme anno superiori saeuientibus, impedita fuit. Quanti aestimanda sit haecce industria, facile patet, si quis considerauerit celeber. D. D. BOERHAAVE in historia horti academici Lugdunensis, indici suo plantarum alteri praefixa, *p. 31.* non sine ratione depraedicasse HERMANNVM, post fata adhuc immortalem, quod anno a suscepta Botanices professione altero 1537. stirpes studiosis demonstrare valuerit, in horto a tantis antecessoribus iam exculto. Annexa est huic designationi *constitutio aliquot nouorum generum.* Nimirum I. *Cannabinastrum*, ob folia ad cannabim aliquo modo accedentia. Ad hoc refert illud genus plantarum, quod Cl. *Boerhaauio* Cannabina, *Raio* aliisque cannabis spuria et J. B. cannabis syluestris audit, eam ob causam, quod *Tournefortius* aliud prorsus genus hoc nomine salutauerit; duo genera vero diuersa vnum idemque nomen, ex sententia praestantissimorum recentiorum botanicorum, absque confusione sustinere haud valeant. II. *Perspicillum*, ob figuram capsularum ita dictum. Hoc constituunt plantae *Tournefortio* Thlaspidia nuncupatae, quia ante illum Cl. *Riuinus* plane diuersas, ad Thlaspi tamen propius accedentes, plantas Thlaspidii nomine

consignauit. III. *Helleborastrum* A. vocatur Helleborus ferulaceus, vel Helleborus niger Hippocratis, a nonnullis ad Adonidis genus, ab aliis ad Ranunculorum agmen, ob fructus conuenientiam, relegatus, ab vtrisque vero tum forma petalorum angusta atque acuta, tum numero eorum vltra dimidium aucto, differens. IV. *Malueola* nuncupatur planta sub nomine Maluae africanae carpini folio A. missa, et pro eadem, Alcea carpini folio Flor. Lugd. Bat. aliorumque dicta, agnita, peculiari vero nomine donanda, ob folia ab Alceis diuersa, facie a maluis aliena, potissimum vero ob calycem simplicem pentagonum quinquefidum. V. *Ornithopodioides* Autori constituunt plantae, quae flores et siliquas habent ornithopodii, sed folia triphylla e. g. trifolium ornithopodii siliquis, et ornithopodium portulacae folio. VI. *Virga argentea.* Differt a Virga aurea floribus albis, sine dubio eadem est quam Cl. DILLENIVS in append. ad Cat. plant. Gissens. p. 142. *Conyzellam* nominauit. His addimus Cl. Autorem in ipso catalogo occasione Ericarum monere, illas flore dolioli forma *Ericoides* potius esse dicendas.

II. *Ex Litteris* D. D. GEORG. FRID. GVTERMANNI *ad d. 4. Decemb. 1731.* Dixit mihi medicus quidam, Medicis Stutgardiensibus propositum esse colligendi atque typis mandandi Acta sua medica, ad modum Berolinensium.

Obseruatio de sceleto foetus, viis insolitis exclufo. Ex communicatione D. JOSEPHI BIENER, Phil. et Med. D. Phys. Regii in districtu Slanensi et Rackonicensi in Bohemia.

Maria Strelin ex pago Woparn dominii Lovvosicensis in districtu Litomericensi, ab vrbe huius nominis vno milliari distante, trituratoris vxor, anno aetatis 33. coniugii vndecimo, plerumque infelix puerpera, binos foetus successiue enixa, instante septimi partus tempore, initio Nouembris Anni 1716. per triduum multum laborauit inanibus pariendi conatibus, donec deficiente motu foetus, et doloribus parturientis, ipsa inter deliria et virium debilitatem mortem, suo et adstantium iudicio, expectaret; octauo abhinc die prodiere secundinae, interea aegra frequentibus caloris et frigoris alterationibus corripiebatur, subinde tantum ardorem externe et interne sentiebat, vt tempore hyemali portam et fenestras ape-

aperiri petierit; nullus ipsi erat appetitus, somnus nullus, secessus rarus, sitis aucta, et dolores capitis atroces; tandem per muliebria fluxus saniei cum intolerabili foetore, et vnguibus foetus, obseruabatur. Post quatuor menses, quibus lecto se dimouere non poterat, aegra enormes cruciatus perpessa, sensit vmbilicum sine inflammatione per modum vesicae attolli, mox sponte aperto, et hiante cute, aliquid duri, quod cum digito immisso tentabat extrahere, (quod contigit sub initium Februarii) vidit esse scapulam foetus a reliquo corpore et musculis separatam. Et licet duobus aut tribus transuersis digitis ab vmbilico quatuor alia foramina et vlcera orta fuerint, per quae ossa minora artuum exteriorum prodierunt, tamen cranium notabilis magnitudinis et duritiei, cum reliquis totius trunci adhuc connexis ossibus, per illud foramen, per quod scapula extracta fuit, vna vice, alia vero artuum ossa per interualla, extraxit. Ab initio Februarii Anni 1717. vsque ad 16. Julii per vaginam vteri prorsus nihil excreuit; vlcera omnia erant perfecte sanata, excepto illo, per quod caluaria cum trunco, et scapula extracta fuerunt, quod labiis introrsum versis per tempus apertum erat, vt cauitas extremum auricularis digiti articulum admiserit. Medicamenta interna et externa nulla applicuit, praeter emplastrum ab Excellentissima Comitissa Herzaniana Millefchouio ex misericordia pauperrimae faeminae donatum. Vires tandem recuperauit prioribus paulo minores, fere tamen aequales, dum tria solida milliaria vno die iam pedes iuerit. NB. die 9. Julii excretio menstrua per triduum ex vlcere ad vmbilicum facta fuit, tandem vero per loca conuenientia, et vt relatum ex post meo genitori, adhuc aliquot prolium mater euasit. De hoc casu testimonium perhibet genitor meus FRANC. IGNAT. BIENER M. D. et Physicus districtus Litomericensis, et JOAN. GEORG. SCHMIDT Chirurgus eiusdem loci iuratus, nec non totus pagus Woparn.

Obseruations de Chirurgie, *auxquelles on a joint plusieurs reflexions en faueur des Etudians. Par HENRY FRANCOIS LE DRAN, de la Societé Academique des Arts, Chirurgien juré à Paris, Ancien Prevôt de sa Communauté, et ancien Chirurgien Maior de l' Hopital de la Charité, Demonstrateur en Anatomie dans le même Hopital. a Paris chez* Charles Osmont 1731. *avec Approbations et Priuilege du*

 Roy.

Roy. 8vo. Tom. I. Alph. I. pl. 8½. praef. pl. I. Tom. II. Alph. I. pl. 12. cum tab. aenea i. e. HENR. FRANC. LE DRAN Obſeruationes chirurgicae, quibus iuncta ſunt plura ſcholia, in ſtudioſorum gratiam. Tomi II.

Priori tomo Celeberr. A. praemittit praefationem ad chirurgiae ſtudioſos, in qua agit de antiquitate et neceſſitate obſeruationum, earumque combinatione cum ratiociniis, ad excolendas artes, et in ſpecie chirurgiam. Carpit praeterea practicos, vtut feliciſſimos, qui ſibi tantum vixiſſe videntur, dum obſeruationes ſuas cum poſteritate haut communicauerunt, quae tamen, tum errorum manifeſtatione, inſtructionis loco inſeruire; tum ſucceſſuum comprobatione, audaciam corroborare poſſent. Ne itaque pari cenſura dignus fieret ſollertiſſimus Dom. A. obſeruationes ſuas publico inuidere noluit; quin potius eas obſeruationibus b. ſui parentis, iisque a confratribus ſibi communicatis, locupletare laudabiliter ſuſcepit, grauiſſime ferens inuidiam quorundam, qui ſoli ſapere amant, neque tamen recordantur ſemetipſos iisdem vſos fuiſſe adminiculis, quae aliis denegant, et priſtinam ignorantiam omnibus adhuc imperaturam eſſe, ſi omnes eadem ſecum ſentirent; rationem inſuper eſſe reddendam et Deo et hominibus. His notam ſubiungit Dom. A. qua indicat 1) ſucceſſu temporis forte ſecuturum eſſe tertium volumen obſeruationum, cui porro inſerere promittit obſeruationes aliorum, ſi quae ſecum communicabuntur, dummodo ad Chirurgiam ſpectent. 2) errorem eſſentialem ex vitio typographico ortum fuiſſe in tractatu ſuo, cui titulus: *Parallele des differentes manieres de tailler p.* ſcilicet 28. vbi l. 13. loco *au-desſus de la veſſie*, legendum eſt *au deſſous.* 3) monet omnia exemplaria ſuarum obſeruationum chirographi teſſera eſſe obſignata. Quod ipſas concernit obſeruationes, ſunt illae num. CXV. quarum primus tomus comprehendit LVI. alter reliquas. I--XV. reſpiciunt affectiones partium capitis externarum, faciei, oris et colli. XVI--XXVIII. vulnera capitis ſtricte ſic dicta. XXIX--XLI. laeſiones thoracis. XLII--LVI extremitatum ſuperiorum. LVII--XCII. partium abdominis. XCIII--CXV. extremitatum inferiorum. Omnes ferme obſeruationes illuſtratae ſunt ſcholiis, nunc generales, nunc ſpeciales cautelas, vel diagnoſin, vel prognoſin, vel ipſam curationem facilitantes, ſuppeditantibus. Quamquam obſeruationes prioris tomi hac vice tantum perluſtrare ſuſceperimus, facile tamen quilibet intelliget

get omnia, etiamſi notatu digniſſima, anguſtos inſtituti cancel[illegible] haud admittere, quare ſpecimina potius exhibenda ſunt, reliqu[illegible] tis ſuperque commendantia. Prima ſtatim obſeruatio, tumorem in capite recens nati compreſſione diſſipatum proponens, occaſionem dat Dom. A. exponendi differentiam inter aneuryſma ſpurium, et herniam cerebri. Quum *p. 40. obſ. VI.* agit de exſtirpatione polypi narium, diſſerit primo de natura et differentia polyporum. Polypus, inquit, morbus eſt eo difficilioris curationis, quo difficilior, et quandoque minus poſſibilis eſt plenaria eius eradicatio; differentia inſuper quotidie inter diſtinctas eius ſpecies obuia, et diuerſam eorum naturam, molem, figuram atque originem declarans, impedit certas regulas, methodum extirpandi determinantes, praeſcripturum. Obſeruationes lectoribus nil ſuggerunt praeter ideas: ab ingenio chirurgi dependet methodi electio in caſibus obuiis. Caſus ille, quem Dom. A. proponit, monſtrabat in viro 30. annorum polypum, ſiniſtram narium cauitatem plenarie occupantem, atque membranae pituitariae, ſuper lamina ſpongioſa inferiore, nec non pariete, ab oſſe maxillari atque palati in parte inferiori naſi coniunctim formata, expanſae, adhaerentem. Spatio 18. menſium polypus tantum cepit augmenti, vt, ſeptum narium verſus alteram cauitatem pellens, aeri non, niſi difficulter, tranſitus ſupereſſet; laminam praeterea ſpongioſam ad alam naſi adigens, lacrymis tranſitum per canalem naſalem praecludebat, vt inde ſaccus lacrymalis turgeſceret, lacrymasque per puncta lacrymalia repelleret. Aegro iteratis venae ſectionibus atque diaeta praeparato, operatio ſuſcipiebatur. Et, quum forceps feneſtratus *) commode intrudi nequiret, propter adhaerentiam polypi verſus alam naſi, cultello ſeparatio peragebatur, deinde vero iterata vice, ob mollitiem facilemque rupturam polypi, plura fruſta extrahebantur. Aeri via nondum patente, iudicabatur totum polypum haud eſſe ablatum. Digitus immiſſus detegebat radices polypi adhaerere verſus vomerem parieti carnoſo velum palati terminanti. Quum forceps nil amplius auferre valeret, ne operatio imperfecta ac ferme inutilis relinqueretur, ſetaceo, reliquum per ſuppurationem conſumente, ſuccurrere viſum fuit. Pro tranſitu ſetacei facilitando forceps excogitabatur feneſtratus valde planus, ſemi incuruatus, quatuor circiter pollicum a clauo ad extremitates vsque longus, quo iterum portio polypi abripiebatur. Setaceum ex 12. vel 15. filis contortum, alligabatur indici manus ſiniſtrae, eo mo-

 do,

*) Gallice *pincettes feneſtrées*; deſcriptionem et delineationem vide in Garengeot Traité des Inſtrumens de Chirurgie. Edit. de An. 1723. p. 393. et 400.

do, vt facile iterum decederet. Naſo intrudebatur forceps vsque ad parietem carneum, velum palati conſtituentem. Digitus ſetaceo inſtructus, dirigebatur per oris cauitatem, retro vuulam, ad altitudinem poſſibilem, et tunc forceps, polypi portioni reſiduae vim inferens, altera manu ad digiti vsque occurſum adigebatur, eodem nodus ſetacei praeparatus prehendebatur, forcipeque retracto vna extremitas per naſum educebatur, altera per os propendens relinquebatur. Haec operatio ab initio aegroto quidem incommoda fuit, attamen ei mox adſueuit. Mane ac veſperi retrahebatur ſetaceum per os, poſtquam illa pars naſo inhaerens ſuppuratiuo illita, et digitus index ſuper vuulam, trochleae inſtar, ſubſtratus fuerat, ne velum palati irritaretur. Inſuper per naſum ſaepius iniiciebatur decoctum hordei, nec non profundius intrudebatur turunda ſuppuratiuo pariter obducta. Haec methodus per 20. dies continuata magnam excitabat ſuppurationem. Ablato, illa mediante, reſiduo polypi, ex libero tranſitu aeris atque iniectionum diiudicato, loco ſuppuratiui adhibebatur aqua exſiccans, vitriolo atque aerugine impraegnata. Hac peragebantur iniectiones atque imbuebantur turunda et ſetaceum, mole nunc auctum. Tandem, menſe praeterlapſo, abſoluebatur cura, et quidem absque recrudeſcentia, quam nec impoſterum metuendam eſſe colligi ex eo poteſt, quod iam ſpatio 6. annorum Dom. A nil vlterius ab aegroto reſciuerit. Scholium docet, ſetaceum pariter proficuum fore, quando polypus ipſi ſuperiori cauitatis parti, verſus oſſa naſi, adhaeret, quia inſeruit directioni turundarum ipſi alligatarum. Setaceum porro vtiliſſimum erit, ſi extractionem polypi ſubſequitur enormis haemorrhagia. In caſu hoc ſanguis ad guttur defluens excitat tuſſim et ſputum continuum, aegroto valde incommodum. Quo plus enim tuſſit, eo magis haemorrhagiam auget, ſimulque chirurgum impedit in iis, quae ad ſiſtendum ſanguinem requiruntur, peragendis. Vt itaque defluuium ſanguinis ad guttur intercipiatur, ſetaceo alligentur duae turundae, ſicca altera, altera aqua ſtyptica imbuta, atque ſic per nares educantur, quod celeriter peragi poteſt. Prior turunda ſicca extractum per nares ſetaceum neceſſario ſubſequens, occludet hiatum fundi naſi, et ſanguini via nulla amplius ad fauces patebit. Vlterius protrahendo ſetaceum, prima turunda expurgabit ſanguinem congrumatum in naſo collectum, altera vero turunda, ad pollicis diſtantiam ſetaceo alligata, et ſtyptica aqua imbuta, adacta ad locum adhaeſionis polypi, haemorrhagiam penitus ſiſtet. Caſus ſequens VII. *p. 48.* explicat exſtirpationem polypi ſcirrhoſi. Qui huius cenſus ſunt, eorum euulſionem

ſionem ſuſcipiendam, praeter impoſſibilitatem, quam figura illorum inuoluit, ſuadere non audet Dom. A. ob haemorrhagiam conſiderabilem metuendam. Radices quippe ſuas latiſſime ſpargunt, eandemque duritiem, ac corpus ipſum, monſtrant. Interim, aegroto auxilium, ob metum continui augmenti, tandemque ex inueteratione ſubſecuturae incurabilitatis, efflagitante, admonet chirurgum, qui curam huiuscemodi polypi vna vel altera methodo tentare conatur, vt ante omnia prognoſin, et ſui, et chirurgiae aeſtimationem ſaluam reddentem, praemittat, cumprimis quia recidiua, etſi cura ex voto ſuccedat, ſemper eſt metuenda. Operationem ipſam ſuadet peragendam eſſe absque ulla vi, et, ſi polypus nimis arcte adhaereat, ſufficere, ſi tantum abſcindatur, quantum poſſibile erit, reliquum vero ſuppuratione auferatur. Plenariam tamen huiusmodi naturae polyporum exſtirpationem non prorſus impoſſibilem eſſe, annexa relatione integri proceſſus, Dom. A. probat. *Pag.* 84. obſ. XII. in vulneribus gutturis, vbi epiglottis officio ſuo fungi nequit, commendatur peculiare inſtrumentum infundibuliforme cum tubo flexili, pro infundendis iuſculis et tuſſi praecauenda, magis vero adhuc clyſmata nutrientia. *P.* 109. percuſſiones capitis duplicis generis facit. Caput enim vel ipſum percutit corpus durum et immobile, quod illud laedit, vt accidit homini cadenti; vel corpus durum percutit caput, v. gr. fuſtis, lapis etc. I. ſi caput ipſum percutit, cerebrum ſemper patitur commotionem magis et minus conſiderabilem, violentiae ſcilicet aequalem, quia cerebrum agitatum verſus corpus durum et retro pulſum per illud, ſubit vno momento duos motus contrarios; et in caſu hoc cranium vel frangitur, vel non. Si cranium non frangitur, totus impetus percuſſionis dirigitur ad cerebrum, et commotio aequalis eſt vi percuſſionis. Si cranium fractum eſt, fractura vero tantum ſubſiſtit in fiſſura ſimplici et leui, commotio cerebri ferme aeque violenta eſt, quam ſi nulla prorſus fractura ſubſequitur. Si vero fractura vlterius pergit, vel os in plura fruſta diffringitur, prouti fractura intercepit percuſſionem, ita commotio cerebri debilior redditur ſecundum proportionem magnitudinis fracturae. II. Quando corpus durum percutit caput, tunc vel percuſſio tam valida eſt, vt ſola impulſio percuſſum proſternat, vel percuſſus non proſternitur in momento percuſſionis, et caput manet quaſi immobile. Si corpus durum tam valide percutit, vt motus ſuus communicetur capiti et percuſſus proſternatur, neceſſario oritur commotio aequalis percuſſioni, et quidem commotio inſignis, ſi cranium integrum manet, vel nil praeter leuem fiſſuram oritur; commotio vero leuis, ſi cranium frangitur. In vtro-

vtroque caſu abolitio ſenſuum, accidens commotionis, tam cito ſuboritur, vt videatur illam ſolam percuſſum proſtraſſe: hoc accidens cito euaneſcit, ſi commotio leuis eſt, perdurat vero, ſi commotio magna eſt, tunc enim verus eſt ſopor lethargicus, neceſſarium conſequens preſſionis cerebri, vel extrauaſationis vsquam factae. Si percuſſionem proſtratio non ſubſequitur, tunc leuis tantum vel nulla prorſus commotio cerebri excitata eſt. In hoc caſu, ſupponendo violentam percuſſionem, os vel fractum, vel perforatum, vel contuſum eſt, et tota violentia terminatur in loco percusſioni obuio. Ex tribus hiſce vltimis caſibus, contuſio cranii peſſima eſt, quia raro cognitio eius poſſibilis, et pro gradu laeſionis oſſis, pericranium, dura et pia mater, afficiuntur. Diuiſio vulnerum capitis ab Hippocrate ſtabilita, ſuppeditare poteſt ſubdiuiſiones horum propoſitorum. Hanc ſuam theoriam Dom. A. diuerſis comprobat obſeruationibus. *Pag. 199. ſeqq.* pari eruditione Dom. Autor exponit variisque obſeruationibus illuſtrat diagnoſin aeque ac therapiam abſceſſuum inter pleuram et extimam pulmonum membranam formatorum, nec non empyematum, qua occaſione p. 248. reſpirationis negotium dilucidat. P. 315. ſeqq. rariſſimam illam operationem, amputationem ſcilicet humeri in articulo ſcapulae, et quidem feliciſſimo ſuceſſu peractam, ſiſtit. Sed haec cum reliquis aeque peculiaribus atque vtilibus ex ipſo fonte haurienda, ob ſpatii anguſtiam, lectori commendantur.

LIBRI NOVI.

I. Cynoſurae materiae medicae continuatio ſecunda, ad Cynoſurae materiae medicae Hermannianae intentionem conſcripta, publicae luci expoſita a JOH. BOECLERO, Phil. et Med. Doct. Botan. atque Chymiae apud Argentinenſes Prof. Publ: ord. Capit. Thom. Canonic. *Argentorati* ſumptibus *Joh Beckii* 1731. *4to* alph. 5. Cl. A. iam 1726 *ibid.* ſub eadem forma et mole publici iuris fecit tractatum, cui titulus: Dom. PAVL. HERMANNI Med. D. et Prof. Lugduno Batauí cynoſura materiae medicae ante ſedecim annos in lucem emiſſa, breuibusque annotatis exornata a Dom. JOH. SIGISM. HENNINGERO M. D. et Pr. P. ord. in Vniuerſitate Argentoratenſi, nunc diffuſius explanata, et compoſitorum medicamentorum recenſione aucta, curante JOH. BOECLERO. Sequuta eſt 1719. eiusdem pariter formae ac molis Cynoſura materiae medicae continuata, ad cynoſurae materiae medicae Hermannianae imitationem collecta, et in lucem emiſſa ab Aut. eod. *Ibid.* 1729. Praefatio continuationis ſecundae, tertiam quoque promittit, regnum minerale potiſſimum ſpectaturam.

II. JOH. ANDR. LVD. MVLLERI Diſſert. inaugur. *Syncopen quadantenus perluſtrans*, ventilata *Ibid.* d. 7. Julii 1731. pl. 8.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas ſecunda.

Norimbergae a. d. IX. JANVARII ciↄ iↄcc *XXXII.*

I.



Erolini publicam lucem vidit *Actorum Medicorum Berolinenſium in incrementum artis et ſcientiarum collectorum Decadis III. Volumen I apud Godofr. Gedickium 1731. 8uo pl. 5.* Praefixa eſt icon AVGVSTINI STEHLII, Archiatri aulae Electoralis Sereniſſ. tempore JOACHIMI Marchionis Brandenb., deficit autem memoria eius conſignata. Contenta huius voluminis ſunt *I. nonnulla notata circa ſaponis alcalici confectionem, praeprimis ſceptica circa ſal volatile inde educendum. p. 1-38. II. Peculiaris conuulſionis polymorphae caſus in puella gallica Munchebergenſi, ad fontem ſacrum Freyenvvaldenſem reſtituta. p. 39-51. III. De epilepſiis grauidarum. p. 51-59. IV. Nonnulli caſus chirurgici admodum memorabiles:* ſcilicet *1) de efficacia Eryſimi in tumoribus ſcirrhoſo-cancroſis. p. 59-63. 2) De exemplo incontinentiae vrinae ex difficili partu, atretae ex ruptura colli veſicae coalitae, eiusdem et aliarum grauiditate, nec non ſectionis caeſareae feliciter inſtitutae. p. 63-69. 3) Hiſtoria extracti globi plumbei per 30. annos in pede geſtati. p. 69-71. V. Binae obductiones medico legales,* quarum prima reſpicit *homicidium ex raptu melancholico. p. 72-79.* altera agit *de ſuffocatis a carbonum vapore. p. 79. ſeq.*

II. *Ex Litteris* D. EVSTACH. MANFREDI ad D. Pr. DOPPELMAYERVM *Bononiae a. d. 2. Decembr.* 1731. Quod poſtremis litteris tuis de inſtituti atque academiae noſtrae Bononienſis commentariis abs me requiris, accipe. Editus eſt nuper a FRANC. MARIA ZANOTTO, qui inſtituto eſt a ſecretis, tomus prior commentariorum, in quo primum Academiae, ac totius inſtituti

historia ab vtriusque origine, paucis traditur, dehinc res litterariae in academia pertractatae, ſiue ad phyſicam, ſiue ad matheſin pertinentes, enarrantur; poſtremo Academicorum diſſertationes aliquot ſubiiciuntur. Obſeruationes in hoc libro anatomicae, medicae atque ad hiſtoriam naturalem ſpectantes haud paucae; phyſicae pauciores; meteorologicae aut aſtronomicae nonnullae; magneticae nullae; meditationes vero phyſicae ac mathematicae complures. Si tibi Vir Ill. librum hunc comparare libeat, ſcito venalem eſſe Bononiae JuliisRomanis 16. Venetiis haud multo pluris proſtare opinor.

III. Iis, quae de *oleo Caieput* commentatus eſt D. D. GOETZIVS *Spec. I. p. 3.* addenda ſuppeditauit idem ea, quae in *hiſtoria moderna omnium gentium* a D. SALMON anglico idiomate publicata, a D.D. van GOCH autem in belgicam linguam translata T. I. n. 6. de inſulis Moluccenſibus cap. II. p. 605. legit, nimirum: *inter merces in Amboina prouenientes, aut aliunde illuc delatas, eſt etiam* Kajoepoeth oleum, *quod diaphoreticum et neruos corroborans dicitur, vt et iisdem viribus praeditum eſſe creditur, quae proxime ante nominato* oleo Culilaban (Kolit-Lavvan olie) *adſcribuntur, in luxationibus nempe, contuſionibus, et affectibus paralyticis aeque ac arthriticis commendato.* Singularem efficaciam olei caieput nuper quoque expertus eſt D. D. TREVV in aegroto ex ſaeuiſſima colica et cephalalgia ſubito coeco facto, vſu vero interno huius olei feliciſſime reſtituto, quem caſum ille prolixius exponet in ſchediasmate de diuerſis cardamomorum ſpeciebus, in quo concinnando nunc occupatus eſt.

IV. Ex *Gallia* nunciatur, factum menſe Octobri exeunte fuiſſe, vt in Comitatus Bigerrenſis, *(Bigorre)* ad Pyrenaeorum montium radices ſiti, valle Baredgina, *(Baredge)* thermis et fontibus ſoteriis diuite, duo montes ſibi oppoſiti nocturno tempore conuergerent, et inter illos ſitum vicum ita ſepelirent, vt nihil eius conſpici vel inueniri amplius poſſit. Nullum omnino praeceſſiſſe terrae motum, ſed montes ſponte taciteque coiiſſe. Fontes, poſt hunc caſum, largius ſuas vndas profundere.

V. *Hannouerae* nuper accidit, vt adoleſcens mendicus mortuus in platea reperiretur, isque medicis diſſecandus permitteretur. Magnam admirationem haec inciſio peperit, quum non ſolum in ſcroto eiusdem nulli teſticuli inuenirentur, verum intus etiam nulli omnino deliteſcerent, nihilque illis analogum deprehenderetur.

VI. Pu-

VI. Publicae litterae teſtantur in zootrophio, quod prope arcem Principalem Durlaco-Badenſem, *Carlsruhe*, alitur, ſimiam Indiae orientalis d. XIII. Decembris anni praeteriti enixam eſſe prolem maſculam: hoc vero ibi locorum non adeo rarum videri, ex eo colligitur, quod ab anno 1701. ibidem ſimia Africana per quinquennium ſubſequens parem foecunditatem prodiderit.

D. D. JOH. JVST. FICKII obſeruatio de *ſcabiei humidae curatione, a potu Thée nimio impedita.*

Iuuenis ſtudioſus Holſatus ſcorbuticus, partim ob clima, partim ob victum mutatum, ſcabie humida per totum corpus corripitur, quae etſi rite tam externis, quam internis, tractaretur remediis, tolli neutiquam per longum tempus potuit. Inueſtigans itaque in huius infelicis curationis cauſam, et quaerens, an Dom. Patiens errores forſan committeret in diaeta, mihi reſpondit, ſe nihil omittere, quod curationis accelerationem promouere poſſet, imo per totum diem nihil aliud bibere, quam infuſum Thée, et quidem in tanta copia, vt ante meridiem duos vel tres, et totidem poſt meridiem cantharos potaret, credens eo melius prodeſſe, quia hoc modo ſanguis optime dilui et alterari poſſet. Cum vero illi remonſtrarem, quod a nimia huius potus ingurgitatione ventriculus fortiter diſtenderetur, ſicque eius tonus debilitaretur, ita vt reliqua aſſumta eſculenta legitime concoqui, et in chylum laudabilem mutari non poſſent, conſequenter cruditates in primis viis augerentur, et morbi fomes indies incrementum caperet, ab huius abuſu lubens deſtitit, ſicque effecit, vt breui temporis ſpatio, iisdem medicamentis conuenientibus, quibus antea ſine vllo fructu vtebatur, ad priſtinam redigeretur ſanitatem.

Diſſertatio inauguralis de *Neruo intercoſtali*, quam Francofurti ad Viadrum an. 1731. d. 13. Jul. publico examini ſubiecit CAROLVS AVGVSTVS a BERGEN. *Francof. March.* pl. 7½.

Diſſertatio §§. 51. abſoluitur, tribusque conſtat partibus. Prima quidem de origine, progreſſu et fine nerui, ex ſententia recentiſſimo-

tiſſimorum anatomicorum, agitur a §. 1. ad §. 30. Secunda, recenſitis quibusdam dubiis, minus vere olim indicata nerui praedicti origo rectius traditur, a §. 30 ad §. 33. Tertia, actiones huius nerui phyſiologice, ſubiunctis variis morborum ſymptomatibus, exponuntur, a §. 33. ad finem. Quoad primam diſſertationis partem, §. 1. nerui generatim definiuntur, quod ſint fibroſae productiones cerebri, per ſubiectum cerebro corpus diſperſae: tum ortus et progreſſus nerui intercoſtalis traditur, vtrimque ex ſexto ſolo, partim ex V. et VI. neruorum paribus, eoque per ſeptimum cranii foraminum par egreſſo; deſcendit per collum, in thoracem, abdomen, peluim, toto ipſo itinere ceruicis, dorſi, lumborum vertebris adcretus, variosque variis et diuerſis omnino partibus ramos impertiens. §. 2. De huius nerui inuentione veterum omnes nihil litteris prodidiſſe; ratione vero ſui progreſſus omnes vnum alterum ſecutos, neminem vero vel priorem, vel feliciorem in indagine verae nerui originis ipſo BARTH. EVSTACHIO occupatum fuiſſe aſſeritur. §. 3. Reprehenditur denominationis huius nerui ratio, quod non a potiori ſit ſumta, cum neruus hic, in tranſitu per thoracem, coſtarum radicibus accumbat, coſtaliumque neruorum propagines recipiat, reliqua et maxima ſui parte per collum, abdomen et peluim diſperſa, citra vllam fere ad coſtas relationem. §. 4. Refert A. quod Argentorati in huius nerui originem inquirens, nexum eius tam cum VIto, quam etiam cum Vto et VIto paribus repererit. In exponenda vero iſtius nerui origine ſibi progredi vix integrum eſſe ait, niſi vtriusque paris hiſtoriam breuiſſimis praemittat, quod §. 5. 6. et 7. praeſtat. §. 8. et 9. originem intercoſtalis ſpecialius ſcrutatur. §. 10. Canalem oſſeum pro tranſitu arteriae carotidis et nerui intercoſtalis deſcribit. §. 11. nerui per canalem tranſitum exponit, vbi in ſpecie notat, neruum, haud eadem cum arteria directione, viam per canalem abſoluere, ſed curſum mutare: ingreſſum enim canalis principium, lateri arteriae interiori; ſub cranio vero egreſſum, eiusdem lateri exteriori, adpoſitum reperiri. Vbi vero truncus in duplices ramos diuidatur, efformando inſulam, vti EVSTACHIVS delineat, haec rurſus aliter ſe habere. §. 12. Nerui ex cranio exitum tradit, quomodo membranoſa durae matris prolongatione ad paruum proceſſum dicti canalis valide conſtringatur, quo neruus ad par vagum ſcilicet inclinetur, quod hic quoque egreſſum ex venae iugularis foramine, interpoſito duntaxat oſſeo iſthmo, deſcendens, communis vaginae tutelam ſibi adſciſcat. Tum intercoſtalem, interiora verſus incuruatum, vltra a latere arteriae ſoporalis externo de-

deſcendere, ſenſimque, pollicem latum emenſum, intrare tertiam inter et ſecundam ceruicis vertebram collocatum ganglium, omnium, quibus donatur intercoſtalis, maximum, ceruicale ſuperius dictum. §. 13. Digreſſionem de gangliis inſtituit. §. 14. nerui deſcenſum, et quidem §. 15. per collum deſcribit. §. 16. et 17. Neruos cardiacos et plexum cardiacum delineat, et probat, maximum intercoſtali cum pari vago intercedere nexum: atq; notat ſimul ex WILLISIO, in brutis hunc plexum fieri, maxumam partem, a ſolo pari vago; vnde Anglus ille bruta inuoluntariis actionibus plus, quam animi paſſionibus, rapi credidit. §. 18. Iter nerui per thoracem proſequitur. §. 19. Ad neruos meſentericos, ſeu intercoſtales ſuperiores, vt et reliquos abdominis neruos tranſit; nempe §. 20. ad plexum hepaticum; §. 21. renalem dextrum; §. 22. ſplenicum; §. 23. renalem ſiniſtrum; §. 24. meſentericum ſuperiorem; §. 25. meſentericum inferiorem. §. 26. Scholion doctrinae de plexibus abdominis addit. §. 27. Intercoſtalis inferioris per abdomen tranſitum dilucidat, vbi rem attentione dignam cenſet, quod cum truncus intercoſtalis toto ſuo itinere a ceruicalibus, dorſalibus, lumbaribus, excipiat neruos, trunci huius explicati fines manifeſto terminentur in iſchiadici exordia, modo prioribus plane contrario. In cuius rei fidem Cl. NICOLAI Argentorati portionem nerui iſchiadici praeparatam aſſeruet, in qua haec propaginum intercoſtalis inſertio manifeſto ob oculos ponatur. §. 28. Eiusdem nerui per peluim iter proſequitur, VIEVSSENII delineationem reiicit, EVSTACHII vero approbat. Quod vero natura neruum totum, pleurae et peritonaei interuentu, vertebris adiunxerit, haec ipſi cauſa eſſe videtur, vt firmius aliquod fulcrum habeat, quo ipſe truncus ſuffultus, omnes ſuas ramificationes in thoracis et abdominis pendula viſcera transmittat. §. 29. Fines propaginum huius nerui proponit, eosque eſſe diuerſos, omnesque eius modos haud cognitos dicit. Quosdam eius ramos terminari, ſub ſpecie papillularum, in inteſtinorum cauum, ſub vaginis villoſae tunicae deſinentes, et ſentiendi facultatem habentes, pene docere extremas plexuum meſentericorum propagines: alios viſcerum ſubſtantiam penetrare, id quod plexus, vaſa cingentes, fere omnes doceant: alios rurſum vndique per membranas pleurae, omenti, peritonaei, diſtributos, ita in his membranis euaneſcere, vt has fere conſtituere videantur: neque adeo incongruum eſſe ſtatuere, ait, vltimos artuum neruorum tubulos in membranas muſculis intertextas ita deſinere, vt, obſeruantibus plurimis, nerui extremum, medulloſo relicto, in

membranas explicari videatur. Parte dissertationis secunda §. 30. asserit A. neruum hunc minime suas ex Vto vel VIto pari, sed longe diuersas habere origines; modoque hisce, tamquam finibus suis, inseri neruis. Cuius rei rationes sequentes §. 31. affert: 1) omni neruorum origini contrarium esse, quod neruus, ex altero ortus, angulo inuerso, et quidem acuto, egrediatur, vt de intercostali praedicatur: nec neruum recurrentem per angulum inuersum, sed, propter adiacentem axillarem arteriam, per flexuram egredi. 2) par VItum, intercostali nondum emisso, longe gracilius esse, ipso prius emisso; vnde manifestum sit, illum ingredi par VItum, non egredi: idem forte pari Vto accidere, sed, prae grandi eius mole, vix augmentum in sensus cadere. 3) remoto trunci huius, intra cranium existentis, exteriori velamine, arachnoidea, euidenter oculo armato conspici, fibras eius vtriusque nerui penetrare membranas, dilatare quasi neruorum sexti paris filamenta, sicque intra eorundem interstitia subterfugere oculos. 4) nullibi in toto corpore inueniri neruum in origine tam tenuem, in progressu adeo crassum, quam ipsum intercostalem. 5) ipsi duo ramuli, a Vto pari dati, quum saepius adsint, saepius desiderentur, incertos quoque huius nerui in cranio natales indicant: quorum porro ramulorum, vt et alterius surculi, qui sexto inseritur pari, tanto semper sit incertior, quo minora fuerint corpora humana: quare etiam in tenello foetu, vtero adhuc incluso, huncce trium ramulorum cum Vto et VIto pari nexum reuera dari, valde dubitat A. 6) cum nullibi in C. H. arteriarum cum neruis adiacentibus contrarius obseruetur decursus, qualis in ingressu arteriae soporalis, et egressu nostri nerui per eundem canalem (§. 10. 11.) notatur, quod nerui actioni arteria vicina sic semper opposita sit: hinc intrare potius neruum hunc cranium, inserique partim Vti, partim VIti paris portioni, quae horum neruorum progressum spectat. Adeoque §. 32. longe verosimilius iudicat, neruum hunc oriri ex omnibus neruis, quos in suo vertebris accommodato situ, accipit a variis spinae, ceruicis, dorsi, lumborum, neruis, ita quidem, vt hic neruus intercostalis sit neruus medullae spinalis, tot radices habens, quot sunt rami, a vertebralibus in ipsum reflexi, cum gangliis communicantes; cuius fines superius intra cranium, sunt rami in Vtum et VItum par euntes (§. 8.) in thorace vero et abdomine plexuum, §. 16. 20-25.) et ipsius trunci vltimae propagines: in pelui, rami (§. 27. 28.) in ossis sacri neruos terminati. Parte demum tertia et vltima dissertationis §. 33. communia nerui intercostalis phaenomena expendit

§. 34.

§. 34. Peculiaria eiusdem phaenomena tradit, nexum et decurſum potius in antecedentibus traditum, quam interiorem compagem ſpectantes. §. 35. Generalia nerui intercoſtalis ſani phaenomena enumerat, a multiplici nempe eius in tot diuerſas partes introitu, ad diuerſa munia argumentando. Litem neruis liquida negantium ſuam facere recuſat, hos vero ſuo ingenio abundare lubens concedit, id vnice aſſerens, omnes ab inſufficientia rei male argumentantes, et ſolidam C. H. theoriam negligentes, in cognoſcendis corporis noſtri origine, progreſſu et operationibus minus oportere eſſe felices. §. 36. Vſum liquidi neruei, ſpeciatim nerui intercoſtalis, in nutritione corporis defendit, argumento inter alia ſumto a tubulis mammarum lactiferis, in quibus VIEVSSENS detexerit neruos in mammis ita coaleſcere cum tubulis lymphaticis, vt exinde nouum prorſus vaſorum genus, ipſi *lymphatico-nerueum* appellatum, exſurgat. §. 37. 38. Idem vlterius, et ſeorſim de neruo intercoſtali probat. §. 39. Particularia intercoſtalis ſani phaenomena conſiderat, conſenſum partium, per quas idem diſtribuitur, illuſtrando. §. 40. Refert experimentum PETITI, quo primus ob nexum iſtius nerui cum VIto pari, conſenſum illius cum oculo ſuspicatus eſt; ligato nempe canis neruo intercoſtali in collo eiusdem, vidit oculum fieri defixum, afflictum, lacrumantem, lippum, membranam ſemilunarem MORGAGNI, vltra ſolitum terminum, occupare corneam, viſus organum caligine ſenſim obduci, pupillam dilatari, tandem plane, vt in gutta ſerena fit, immobilem reddi; relaxato vero neruo, nouum oculo rediiſſe fulgorem, quo ipſo poſtea in aliis quadrupedibus tentato, eosdem conſtanter vidit effectus. Fidem vero denegat PETITO, narranti, ſe canem viuum, paribus octauis et intercoſtalibus in colli vtroque latere abſciſſis, in ſeptimum vsque diem ſuperſtitem ſeruaſſe. §. 41. Ab eodem conſenſu deriuat, cur homo coelo ſereno vel ſoli expoſitus ſternutet? cur bruta non rideant? cur difficulter tuſſiant? negat vero, eidem neruo lacrumarum expreſſionem et fletum adſcribi poſſe. Titillationem demum, qua homo in cachinnos ſoluitur, per nexum coſtalium neruorum cum intercoſtali fieri probabile eſſe ait. §. 42. Ex intercoſtalis cum iſchiadico nexu conſenſum pedum cum toto corpore explicat. A plexuum propaginibus, vaſa ſanguifera, vaginarum inſtar, ambientibus, inter alia rationem petit, cur aluus, ex praegreſſis quibusdam animi pathematibus, ſoluatur? §. 43. Neruum intercoſtalem diaſtoles cordis cauſam eſſe poſſe ſtatuit. §. 44. Communia laeſi intercoſtalis phaenomena examinat. §. 45. Sic vaſa ſan-

ſanguifera exterioribus neruorum inuolucris data, et gangliis interſperſa, obſtructa, laeſa, clariorem multorum morborum, inprimis hypochondriaco-hyſtericorum, intellectum dare affirmat. §. 46. Particulares laeſi intercoſtalis adparitiones deſcribit; v. g. §. 47. ſymptomata erupturi dentis. Oculos fere ſemper laeſorum viſcerum proditores eſſe, exemplo ſcotomiae a ventriculo deprauato; coecitatis periodicae, in quodam, ex colica vehementi aluo ſoluta, ſublatae: anxietatis praecordiorum in fletu. §. 48. Ex nexu intercoſtalis cum artubus inferioribus, per cruralem poſticum, rationem variorum ſymptomatum dilucidat. §. 49. Laeſiones C. H. ex plexuum abdominalium mala conſtitutione euoluit. §. 50. Conſenſum partium ex ſurculis nerui intercoſtalis, per peluim diſtributis, notat. §. 51. Epilogus.

LIBRI NOVI.

I. Helmontius Ecſtaticus, ſiue viſa medicaminum poteſtas ab HELMONTIO ſomniante, reuiſa a vigilante JOANNE HENR. COHAUSEN Med. D. i. e. Tractatus theoretico-practicus, arcanioris ſophiatriae promus condus, continens duas diatribas, quarum prima viſionem ecſtaticam Helmontii, hactenus a nemine detectam, clariſſime aperit; altera in praecipuas eius ſenſationes phyſico-chymicas ſublimes nouasque reflexiones, omnibus ad arcana adeptorum aſpirantibus vtiles atque neceſſarias, proponit, interſperſis variis atque magnis remediis. Accedit pro ſupplemento ſenſationis vltimae Helmontianae de Hermetis aquina forma pontica, quae Elementa diſſoluit; nec non Helmontii liquore igni-aqueo alcaheſtino, ſoluente catholico, diſſertatio pyrotechnica curioſa, notis ab Autore illuſtrata. *Amſtelodam.* 1731. 8*uo* alph. 1. pl. 1.

II. Archaeus febrium faber et medicus, ſiue exercitatio medico-practica, de vſu et methodo rationali, ſolida, certa et ſecura, tam in febribus intermittentibus, quam periodicis continuis adminiſtrandi febrifugorum omnium maximum corticem Peruuianum, ſeu Chinam-chinam. Autore JOH. HENR. COHAUSEN, Hildeſio Saxone, M. D. Archiatro Horſtmario-Ahuſano, et Dioeceſeos Monaſterienſis practico ſeniore. *Ibid.* 1731. 8vo pl. 8. et dimid.

III. Nouveau Voyage au tour du monde par Mr. le GENTIL. avec une deſcription de l'Empire de la Chine, beaucoup plus ample et plus circonſtantiée que celles, qui ont paru jusqu'a preſent, où il eſt traité de moeurs, Religion, Politique, education et commerce des peuples de cet Empire. Tome premier, *Ibid.* apud *Petr. Mortier* 1731 8vo pl. 20. cum dimid, Tome ſecond pl. 15. Tome troiſieme pl. 12. i. e *Nouum iter circa orbem terrarum D. GENTIL, cum deſcriptione imperii Chinae &c. Tomi III.* Noua eſt impreſſio editionis 1724. publicatae: permulta ibi leguntur ad hiſtoriam naturalem pertinentia.

IV. *Ibid* apud *Nic. de Wit* ſub praelo ſudat Pharmacopoeae Leovardienſis ſexta editio reuiſa et emendata in 12.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas tertia.

Norimbergae a. d. XVI. JANVARII cIↄIↄccXXXII.

I.



Elatum nuper legimus, cum *in nouis litterariis Lipſienſibus*, N. LXXXXVIIII, tum *in recenſionibus hiſtoricis Ratisbonenſibus*, N. LI. p. 814. conſtitutum eſſe illuſtriſſimae Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Nat. Cur. Domino Praeſidi, nouum idque tertium edere volumen *Actorum phyſicorum-medicorum*, ſiue *Ephemeridum Nat. Cur.* quum inſignis iam eruditarum pariter ac vtilium obſeruationum numerus collectus ſit. Quamobrem ſinguli Domini Collegae et Fautores beneuole admonentur, vt, qua fieri poteſt minima interpoſita mora, vel ad illuſtres Viros, Dominum Praeſidem, BAIERVM, Altorfium; aut Dominum Directorem, ETTMüLLERVM, Lipſiam; vel ad alios quoscunque Dominos, ſiue Adiunctos, ſiue Collegas, pro locorum opportunitate ſeligendos, mittant, quae conferre voluerint, ſymbola. Summum hoc illuſtris Domini Praeſidis ſtudium ſicuti abunde teſtatum facit, nihil Ipſum antiquius habere, quam vt iis ex aſſe reſpondeat, quibus pro ampliſſimi muneris ſui dignitate perficiendis datus eſt: ita comprobatum idem vlterius exinde videmus, quod et procurandae Societatis commoditati ſtudiisque prouehendis conſulat. Exſtans enim nobiliſſimae huius intentionis teſſera eſt, quam nuperrime typis promulgauit: *ad bibliothecam et muſeum Academiae Imperialis Nat. Cur. liberaliter inſtruendum officioſa exhortatio atque inuitatio.* Cuius ſumma huc redit, vt primo de emolumentis, inde in commoditatem Sociorum redundaturis, exponat. Poſtmodum locus deſignatur tam laudabili inſtituto idoneus, isque Norimbergae, in aedibus, ad D. Catharinae coenobium

pertinentibus, conceſſus, qui collectaneis, adhuc quidem pertenuibus, hoſpitio ſit non facile turbando. Hinc exorantur vndiquaque ſuppetiae, quae locupletando bibliothecam et muſeum exornando, quacunque demum ratione hoc praeſtare commodum viſum fuerit, conatus ſuffulciant ſtabiliantque. De libris vero ſeorſim monetur, quod in primis deſiderentur auctores Hiſtoriae Naturalis, botanici, zoographi et oryctologi, medicam quoque ſimul rem illuſtrantes, pharmaceutici, chimici et mathematici; praeterea hodoeporica, chorographiae et topographiae; denique, et prae caeteris, obſeruationum, caſuum et curationum medicinalium ſcriptores. His tandem aliquot ſubnectuntur conditiones, quibus intentionem ſuam viciſſim declarat, vt cuiuis, ad vtilitatem ſuam apparatu librorum et rerum naturalium vti cupienti, ſatis fieri poſſe exiſtimat.

II. *Ex Sueuiae libera quadam ciuitate*, transmiſſus nobis eſt conſpectus ſcripti cuiusdam notabilis, quod praelo paratum eſt: eum totidem verbis exhibemus:

Summaria hiſtoriae abortuum molarumque diuerſarum excluſarum.

pag. Abortus fieri nouum non eſt, ſed haec abortuum hiſtoria
1. prae aliis notatu digna inuoluit. Matrona optimae aetatis, quae
2. olim frigore ſuppreſſit menſes primordiales, dein ſolenniter largos, moleſtas bis experta grauiditates, abhinc haemorrhagiam
3. vteri paſſa, poſt tertio peperit; Quartum grauida, magis diuexata, irritis fere remediis, factoque incommodo itinere, ex
4. affectu hyſterico grauiſſime decubuit, ſed euaſit. D. D. DüTTEL in conſilium vocatus, laudatur. Nihiloſecius noſtra incidit in haemorrhagiam vteri, mitigatam quidem a temperantibus to-
5. nicis; ſed membranis foetus proruentibus, nullo modo reponendis, tertio die poſt excluſus eſt foetus nondum quinque-
6. meſtris, viuus, qui baptizatus moritur. Puerpera molam ſimul geſtauerat. Quintam cognouit conceptionem ex priſtinis
7. moleſtiis, quae nitroſis, antiſpasmodicis, ſtomachicis, confortantibus, ſpiritui Buſſiano atque anodyno, crocatis atque caſtoreatis, numquam plene ceſſit. Metus abortus ſuppeditauit conſilium mittendi ſanguinem, attamen ſexta hebdomade abor-
8. tus molimina inuaſere, ſpaſmi pertinaciter afflixere vniuerſum corpus, grauiſſimis paroxyſmis abdomen, pectus, caput et ar-
9. tus, diu, ſaepe et peſſime, exagitantibus. Aegrota haemorrhouſa atque hyſterica, omnium rerum pertaeſa, nauſeoſa,

pientiſ-

pientiſſime ſe geſſit. (*Medici piis aegris adſtantes felices ſunt tam pro*
10. *aegrotis, quam pro ſemet ipſis.*) *Pathologia* has afflictiones deduxit
11. ab emanenti largorum menſium fluxu, ſanguine repreſſo ad portae venam, et vaſa gaſtrica, quae ex innumeris oriuntur capillaribus, teſte ſubtiliori iniectione anatomica, indeque orta plexus neruorum coronarii ſtomachici ſtrictura, quae ob conne-
12. xionem, remotiores quoque partes nobiles in conſenſum traxit, neque minus ab ira irritata fuit, et ſanguinis circulum tur-
13. bando haemorrhagiam concitauit. *Therapia* has turbas compeſcere, et grauidam foetumque roborare ſtuduit, V. S. reuulſoria, temperantibus, tonicis, analepticis, diluentibus,
14. externis confortantibus, et diuertentibus. Cum verum ſit axioma: *quod largae vteri haemorrhagiae vterum debilitent, atque ad abortus diſponant*, datae ſunt pilulae balſamicae, continuatis an-
15. tiſpasmodico-confortantibus, et gelatinoſis. Me abſente, pharmacopoeus alia; ſed falſa opinatus, incongrua ordinauit. Alius
16. vinum Tyrolenſe laudauit. Ego Stahlii effata ſequi nondum auſus, vlterius ſanguinis diuerſionem et attemperationem tenta-
17. ui. Spe abortum praeſeruandi decollata, per attactum orificii vteri interni, exploratum eſt, num reuera geſtet vterus, et
18. cognitus fuit ſtatus grauidus; ergo iterum pilulae balſ. oblatae, et ſpaſmis hyſtericis obuiam itum eſt, non omiſſis pellentibus.
19. Vt nil opis relinqueretur, Collegium Medicum A. conſultum
20. eſt, quod, abſentibus quidem celeberr. Collegis compluribus,
21. in diuerſam abiit ſententiam, paſſionis aetiologiam et curandi
22. conſilium. Itaque de mea ludebatur fama. Ego autem rem aequa
23. lance ponderans, ratiocinia vtrinque reuoluens, illic nil valoris et certitudinis animaduertens, hic vero cumulatis ſpecioſis argumentis meam omnium afflictionum aetiologiam confirman-
24. tibus, et remedia adhibita, ſpeciatim pellentia, approbantibus, vteri ſtatum grauidum demonſtrantibus, DEO confiſus et cau-
25. ſae bonitati, obfirmaui mea animi ſenſa. Medici Memmingen-
26. ſes a meis ſteterunt partibus et conſiliis. Miſerae aegrotae, quicquid in contrarium ſuadebatur, curam congruam adhibui, leniter pellentibus, balſamicis, analepticis, antiſpasmodicis, ſtomachi-
27. cis, carminatiuis, nutrientibus, eupeptis, elixirio confortante
28. D. DüTTELII. Balnea quoque uſurpari coepta ſunt. Tandem
29. parturiendi conamina aggreſſa, ſuſtentata et promota, M. Decembri enixa ſunt, ſub enormi ſanguinis torrente, molam membranaceo-carneam grauem, aliam veſicularem grandem, a qua in-

C 2 nume-

numerae diſceſſerant veſiculae , et poſtmodum foetum mortuum ſed incorruptum.
30. Poſt partum morti proxima, adeoque vrgenti ſanguinis ar-
terioſi effluxui , animique deliquiis opem ferre neceſſe fuit,
31. ſed caute ac prudenter. Extremum vitae periculum iugiter in-
ſtitit ob ſummam ſanguinis pauperiem, et virium defectum. Mi-
ro phaenomeno flatus ſonori ex vrethra et vtero erumpebant.
32. Vterus ſanguinem profundere nondum deſinens, pilulis balſa-
33. micis, molam protrudentibus , depletus fuit. Mammis etiam
34. in hoc exſucco ſubiecto proſpicere opus erat. Febris per totam
35. Europam tum epidemia etiam noſtram acerbe detinuit. Anno
36. 1730. ineunte maior conualeſcendi affulſit ſpes. Latitabat au-
tem hectica, indicans temperantia, nutrientia , viſceralia, to-
37. nica, neruina: in puluere, emulſione, gelatina pharmaceutica,
et domeſtica, elixirio, potu ordinario, balſamo , ac linimen-
38. to, neruino ; conceſſo tandem vini Hungarici et Neccarini vſu.
Menſes rediere quarto poſt abortum menſe. Balneis domeſticis
39. vſa eſt adulto vere , pilulisque vterinis. Hoc anno 1731. ite-
rum factae conceptionis, priſtina ſentire coepit incommoda, iam
debellata, venae ſectione, temperantibus, et praeſtanti linimen-
40. to antispaſtico, it. Elix. balſ. mola recens excluſa in bonum, quod
DEUS praeſtet vlterius, ac embryonem conſeruet!

D. D. GE. FR. GVTERMANNI obſeruatio *de Tinctura dulci coralliorum perlata.*

Quum metuatis, VIRI Excellentiſſimi, atque ad incrementa ſanioris medicinae nati ! vt cum obitu B. D. D. PACHHELBLII de GEHAG , eiusdemque thori ſociae , interierit quoque notitia parandi *Tincturam coralliorum tonico-analepticam eximiam* in *Spec. XXXIX. p. 307.* laudatam, dolorem de iactura eius, ſi reuera facta ſit, demulcere paulisper , eamque quodammodo et in Veſtram et in aliorum gratiam compenſare ſtudeo , ſequentem perquam ſubacto Veſtro iudicio, liberrimisque, ſi placuerit, ad proximi commoda vſibus tradens deſcriptionem : Rec. *coralliorum* elegantiſſima rubedine ſuffuſorum vncias duas ſemis , quae tenuiſſime pulueriſata *cerae virgineae* albiſſimae, in vaſe terreo leni carbonum igne liquefactae, vnciis duabus tribusue immiſce, agitando maſſam ſuper ignem ſpatula ferrea tamdiu , donec exſurrexerit macularum rubellarum copia, deinde adſperge parum *aquae limpidae* , eamque porro leniſſime coque, vs-

que dum corallia rubedinem exuerint et cum albedine commutauerint. Poftea adiice *facchari Canarienfis* optimi, itidem fubtiliffime triti, vncias duas femis, lenemque decoctionem continua, vt faccharum colorem induat ruffum. Adde infuper *margaritarum Orientalium* in pollinem laeuigatarum drachmam, quas quidem fine virium dispendio omittere poteris. Quo facto maffam frigefactam committe vitro haud ita facile fragili, quod menfuram capit, ampliorique inftructum eft orificio, atque affunde *fpiritus rofarum* bis aut ter cohobati libram vnam, obtege vitrum obturaculo cereo, duplicataque vefica firmato. Expone dein blandae digeftioni per integrum menfis fpatium, vitrum autem fingulis agita, femel aut bis, diebus. Menfe exacto tincturam decantabis, debitèque afferuabis ad *vfum tonico-analepticum* in morbis tam acutis, quam chronicis et Herculeis praeftantiffimum, *colore*, *odore ac fapore* fuauiffimo quam maxime fefe commendantem. Datur, vti effentia dulcis Halenfium, quacum et virium ratione fat bene conuenit, faluberrimo cum effectu infantibus recens natis ad guttulas quatuor in lacte materno, atque obferuata aetatum proportione afcendit dofis ad guttas quinquaginta pro adultis. In acutis tamen atque malignis minuitur ad guttas quindecim vel viginti, at eo crebrius, v. gr. fingulis quadrihoriis, propinandas. Commodum vehiculum vndique praebet *aqua cerasforum nigrorum*, quam tamen aquam, licet aliis commixtam, matrem quandam, huiusque liberos, ex fingulari idiofyncrafia, aegrè tuliffe, ex qualicunque mea praxi hac occafione reminifcor. De mira huius tincturae, vna cum aqua quadam deftillata vinofa magiftrali, pilulis balfamicis, balneoque ex herbis appropriatis, in vfum vocatae efficacia in *blande expurgando*, *roborando*, *et foecundando vtero*, adeoque *tollenda fterilitate*, alio forfan tempore plura.

Obferuationes Chirurgicae *de Calculo renum*, *veficae*, *vrethrae*, *lithotomia et veficae punctura*; in quibus *lithotomiae methodum*, quam celeberrimus JOANNES JACOBVS RAV, Anatomiae et Chirurgiae in Acad. Lugd. Batau. quondam Profeffor exercuit, *tutiffimam et feliciffimam* omnium huc vsque inuentarum methodorum effe, variis experimentis et rationibus probat JACOBVS DENYS, ciuitatis Leidenfis ordinarius chirurgus, Lithotomus, obftetricandi artem exercens, et coram obftetricibus prae-

legens; qui addendas etiam curauit figuras ad viuum delineatas. *Lugduni Batauorum* apud *Ioannem a Kerckhem* 1731. 8uo. plag.. Tab. 11 aen. 12.

Praefationem huic libello praemissam, quum singula eius contenta ipsa suppeditet, hic parum mutatis, paucis additis, verbis excerptam, recensionis loco dabimus. In limine eius peritissimus Dom. Autor, necessarium duxit indicare, se nobilissimam Chirurgiae artem, cui ab adolescente animum libauerat, non perfunctorie, sed rite ac decenter tractasse, id est, multum diuque desudasse, tum in eius peritia solide acquirenda, tum in methodo secandi et operandi, quam a doctissimis Anatomiae et Chirurgiae Professoribus, domi forisque vidit et didicit, imitanda, parique, ac aliis contigit, felici successu exercenda: quae vero inglorius, atque eam ob caussam dicta esse vult, vt maleuolis, quos nouit, ora occludat, odio et inuidia in se ample hiantia. Veniam deinde ab aequo lectore petit, si in scribendi genere, aut methodo proponendi minus concinne vel ornate egisse deprehendetur: nugas aut inania verba vitasse, veris autem dilucide exponendis, studuisse ait. Rationes postea adducit, quae his paginis euulgandis eum impulerunt, vt nimirum eorum, quae ex operationibus Viri, dum viuebat, clarissimi RAVII, lithotomique felicissimi didicerat, post fata autem laudati viri, dum in praxi sua eius methodum sequeretur ipse solertissimus A. multoties obseruauit, orbi copiam faceret. Quorum postremis vt fides magis constaret, Doctorum virorum artis peritorum, sibi vbique adstantium, nomina addidit. Ceterum breuitatis studio alloborauit, omittendo farraginem medicamentorum, quibus, nec tamen ex suo cerebro, sed aliunde decerptis, magna librorum spatia explere, multorum mos est. His praemissis, omnium in XII. capitibus, quibus hae paginae absoluuntur, contentorum sistit conspectum. Primo autem capite inueniuntur non tantum plurima calculi signa absque exploratione instrumenti, aut digiti ope conspicua, atque ex dolore, pressione, tumore, et vlcere eius, in qua calculus occultus latebat, regionis, veram calculi praesentiam manifestantia: sed et omnia fere calculi non praesentis, illum tamen mentientia signa, tum ex modo dictis, tum ex vrinae vitiis et contentis iudicata quidem, sed falso deprehensa, tandemque, ceu aliorum morborum symptomata, detecta: quae omnia, cum variis, iisque raris, confirmata sunt obseruationibus, liceat vnam alteramue notatu dignam exhibere: Prima est illa *pag. 14.* quam celeberr.

RAV

RAV notauit in puero, quem a tribus calculis sectione iam antea liberauerat; qui vero, quinquennio elapso, de magno lumborum sinistri lateris dolore querebatur: quo ingrauescente tumor animaduertebatur; ex quo denique increscente vlcus enatum fuit, magnam vrinae cum pure mixtae quantitatem, dum perrumperet, fundens. Hoc pure *Rauius* filamenta quaedam inungebat, matulaeque iniiciebat; puerum in illa quotidie mingere iubebat, vrinamque effundi, quoties de nouo lotium mittebat; post tempus aliquod hisce filamentis calculosam quasi materiam circumcretam esse obseruabat: quae calculum ex pure et vrina fieri, docebant. Altera est selectus propriarum obseruationum. *p.28* communicata, quibus sedulus Autor certo fidem adhiberi posse asserit, quando ex vrinae conspectu certam praesentiae calculi diagnosin, eruere, et ex eius colore, odore, crassitie, tenuitate, paucitate aut copia, de mole, figura, colore, mollitie aut duritie calculi prognosin aut iudicium ferre vult. In secundo capite notantur quaedam signa et symptomata, vnde qualitas calculi vesicae aliquatenus praesagitur et scitur, an paruus, magnus, acutus, angulosus aut ramosus sit futurus; qualium calculorum delineationes, in quibusdam tabulis nitide expressas, exhibet. Tertium caput demonstrat, quando lithotomia non procrastinanda, et quando omnino non tentanda sit. Quartum notat diuersas qualitates vrethrae, vesicae ceruicis et vesicae, quas sedulus A. sibi olim notauit, quarumque cognitio Lithotomi maxime interest. In quinto capite rari exhibentur calculi, mirabile naturae productum, calculus crinibus obsessus, calculus calculo inhaerens, calculus vretheri accretus, vti delineationes demonstrant. Sextum caput in originem calculi renum et vesicae inquirit, et quibus in regionibus magis sint vulgares. Septimum docet methodum detegendi calculum, digiti et instrumentorum ope, et difficultates indicat, quas saepe in indagine Dom. A. detexit. Octauum varias tractat lithotomiae methodos, simulque quarumdam incommoda tam in ipsa operatione, quam curatione. Maxima huius capitis pars adhibetur, vt Dom. A. demonstret *methodum altam* lithotomiae ante plurimos iam annos incoatam, dein omnino per aliquot annos neglectam et iam denuo adhibitam, licet ab ipso inuentore contemptam, in plurimis multas ob rationes impossibilem, in aliis periculosam, et tandem minus commodam ob difficultates, quas, in vulneris curatione, cum ceteris expertus quotidie est Autor. Dein probatur lithotomiam a Clarissimo *Rauio* inuentam, et a Dom. A. cultam, optimis niti rationibus, tutissimamque esse omnium reliquarum methodorum; praete-

praeterea illos omnes, qui adparatu alto, calculo liberari nequeunt, hac methodo poſſe curari; vulneris inſuper ſanandi modum in ea magis commodum aegro, breuiorem tutioremque, et minori cum adparatu fieri. Hinc cuique patet neminem ſe ignaris committere debere; quaeque ſibi methodus ſit eligenda. Neminem tamen adparatu alto calculo liberari poſſe non cenſet Dom. A. quin ſtatuit fieri poſſe, ſed non in talibus, de quibus ibi quaeſtio. Verum ſi inſtituatur in iis, qui a talibus incommodis immunes ſunt, operationem tum diuturniorem, magis dolorificam, periculoſiorem, difficilioremque eſſe, et longiori tempore egere, vt vulneri cicatrix obducatur, quam in ea, quam ſibi elegit Dom. A. methodo. Nonum caput continet ſigna diagnoſtica felicis operationis, et quomodo in variis caſibus minus ſecundis, inter operandum ſe gerere debeat Chirurgus, addendo ſymptomata quaedam lithotomiam ſequentia. Decimum agit de lithotomia in ſexu feminino inſtituenda, et de puella vulgari puerorum methodo, calculo liberata, exemplum annectit. Vndecimum veſicae puncturam ſiſtit, eodem loco, quo ad calculum extrahendum Dom. A. incidere ſolet, ope inſtrumenti, cuius delineationem Tab. XI. habet, peragendam, quando in vrethrae initio, aut alibi, ibidem loci vrinae excretio, calculi non retro pellendi, aut non facile extrahendi, obſtaculo, adeo impeditur, vt ne gutta quidem euacuetur, et omnimoda vrinae fiat ſuppreſſio. Media quoque indicantur, quibus aliquis a veſicae punctura liber manere queat. Vltimum caput docet, quomodo calculus in vrethra, diu ſiut a breui tempore haerens, vrinaeque excretionem omnino, aut partim impediens, extrahi debeat, vbi, quouemodo vrethra optime incidatur, vt fiat euacuatio. Singula haec capita raris operationum exemplis corroborata, et doctiſſimorum virorum praeſentia et autopſia confirmata, lithotomiam a ſolertiſſimo Dom. Autore ita excultam probant, vt magna inde eluceſcat Autoris prudentia et circumſpectum iudicium: adeoque permultum ipſi in hac nobiliſſima arte debeatur. Reſtat adhuc paucis indicare, quod ipſe Dom. A. ſub finem praefationis innuit, hanc editionem ſuarum obſeruationum ex vernaculo ſibi idiomate in latinum ſermonem verſam eſſe, eaque, quae ſentiat, fideliter continere et interpretari.

I. Diſſ. de emendatione temperamentorum. Praeſ. D. D. JO. CHR. STOCKIVS. Reſp. JO. WOLFG. HAAG. *Ienae*. d. 7. Apr. 1731. pl. 3.

II. Diſſertatio de Plethora, Praeſ. D. D. GE. FR. FRANCVS de Franckenau. Reſp. JO. DAN. SIEMENS. *Hafniae* d. 9. Maji. 1731. pl. 3.

III. Diſſ. inaug. de Matheſeos in medicina ac praeſertim practica vtilitate. JO. GER. WAGNERI *Helmſt*. d. 20. Sept. 1731. pl. 8.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas quarta.

Norimbergae a. d. XXIII. JANVARII clɔ Iɔcc XXXII.

I.



Parisiis accepimus, auctoritate Regia nouam inibi, ad aedes St. Cosmi, d. 17. Decembr. a. pr. fundatam et confirmatam esse *Societatem Chirurgorum*, quae sexaginta iam ornata membris, exterorum quoque studii chirurgici cultorum accessione vlterius amplificabitur. Scopus ipsi praefixus culturam obseruationum chirurgico-practicarum potissimum respicit. Expectamus autem promissam nobis pleniorem de hoc instituto relationem: qua fortassis occasione de *Academia* simul *Medicorum*, in praxi cumprimis seu therapia expertissimorum, ibidemque pariter, si nouis publicis fides habenda, recens inaugurata, certiora nobis proferre licebit.

II. *Acta Eruditorum Lipsiae a. 1731. publicata*, sequentes continent articulos ad physicam et medicinam spectantes. *Mense Januario* recensentur HOMOBONI PISONIS CREMONENSIS, in academia Patauina medicinae practicae Professoris, methodus medendi. *Patauii*, typis Joh. Bapt. Conzatti; 1726. 4. alph. 2. pl. 9. *p. 17.* II. Cours de Physique, hoc est, Cursus physicus, cum pluribus schediasmatis physicis jam ante publicatis, et excerptis criticis ex epistolis LEEUWENHOEKII; autore HARTSOEKERO. *Hagae Comitum* apud Jo. Svvart 1730. 4. chart. aug. alph. 3. pl. 15. Tab. aen. 1. *p. 23.* III. Binae consultationes instituti nostri. *p. 30.* IV. JOH. FR. SCHREIBERI praemittenda elementis medicinae physico-mathematicae *p. 31.* *Conf. Specim. XIX. p. 150.* V. Das Nord- und Oestliche Theil von Europa und Asia; i. e. Pars septentrionalis et

D orien-

orientalis Europae et Asiae, quatenus comprehendit Russiam omnem cum Siberia et magna Tartaria, descriptione historico-geographica horum et superiorum temporum illustrata a PHILIP. JOH. de STRAHLENBERG, *Holmiae*, sumpt. Aut. 1730. 4*to*. alph. 2. pl. 15. cum charta geogr. maiori et fig.tab. 21. *p. 46. Mense Februario* VI. Obseruationum meteorologicarum Lipsiensium continuatio, ad A. 1730. Auctore G. F. R. *p. 76.* VII. Exercitatio Angiologica, et de vasis vertebralibus noua obseruatio; Autore AVG. FRID. WALTHERO, Archiat. Reg. et P. P. Lips. 1730. 4. pl. 2½. *p. 85.* VIII. A nevv system of the spleen &c. h. e. nouum systema morborum splenicorum, vaporum et melancholiae hypochondriacae: vbi et omnes neruorum morbi, spirituumque deiectiones mechanice explicantur &c. Aut. NICOL. ROBINSONO Doctore Medico, Socioque Collegii medici Lond. *Londini* apud Bettesvvorth, Innys et Rivington, 1729. 8*uo* alph. 1. pl. 4. *p. 89.* IX. Em. Chr. Loebers gründliche Anweisung zu einer glücklichen Blatter-Cur *p. 94. conf. Spec. VI. p. 44. Mense Martio* X Osservazioni anatomico fisiche di PIETRO SIMONE ROVHAVLT, i, e. PETRI SIMONIS RVHALTI, Regis Sardiniae et generalis militaris chirurgi, Professoris chirurgiae Taurinensis, chirurgi iurati Parisiensis, et Academiae Regiae scientiarum socii, Obseruationes anatomico-medicae. *Augustae Taurinorum*, apud Joh. Franc. Mairesse, 1724. 4*to* pl. 14. X. Reponse di PIERRE SIMON ROVHAVLT, i. e. PETRI SIM. RVHALTI &c. Responsum ad censuram a D. WINSLOW, Professore medicinae Parisiensi, et Academiae Regiae scientiarum socio, factum super suum commentarium, de circulatione sanguinis in foetu humano 1728. 4*to* pl. 19½. p. 125. XI. De vena vertebrali obseruationem alteram, prioris supplementum, communicauit AVG. FR. WALTHER Archiater Regius et P. P. p. 126. XII. Histoire de l' Academie Royale des Sciences année 1723. h. e. Historia Academiae Regiae scientiarum, A. 1723. cum commentariis mathematicis et physicis eiusdem anni. *Amstelod.* apud Pet. de Coup, 1730. 12*mo*, chart. aug. alph. 1. pl. 8. tabb. aen. 19. *p. 130. Mense Aprili* XIII. JOH. JAC. NEVHOLD, &c. de inundatione capitis &c. *p. 164. conf. Spec. XXII. p. 174.* XIV. LAVR. HEISTERI, Med. Doct. et in Acad. Julia Prof. publ. Schediasma de studio rei herbariae emendando, cum Serenissimae Potentissimaeque Domus Brunsvicensis et Luneburgensis iussu professionem botanicam hortique academici curam susciperet. *Helmst.* 1730. 4*to* pl. 3. *p. 167. conf. Spec. II. pag. 11.* XV. Eiusdem index plantarum rariorum atque officinalium &c. *p. 169. conf. Spec. IV. p. 25.*

p. 25. XVI. JOH. THOM. BRINII, Bergomenſis, J. C. Philoſ. et Medic. de ſpiritibus animalibus, deque iis praecipuis, quae iisdem attributa, in animantibus, ſiue ſanis, ſiue morboſis contingunt, inquiſitio phyſico-medica. *Patauii*, typis Joh. Bapt. Conzatti 1729. 4*to* alph. 2. pl. 2. *p. 173.* XVII. G. W. WEGNERI obſeruatio Halonis circa ſolem, Germendorfii d. 30. Maji A. 1728. facta. *p. 178.* XVIII. Quatuor irides ſimul viſae Germendorfii ab Eodem d. 21. Aug. A. 1728. *p. 180.* XIX. M. FRID. OTTON. MENCKENII de vita, moribus, ſcriptis, meritisque HIER. FRACASTORII &c. *p. 198. conf. Spec. XIII. p. 98. Menſe Majo* XX. MICH. ETTMVLLERI, philoſophiae et medicinae Doctoris, in illuſtri Lipſienſi Academia Profeſſoris ac practici, dum viueret, longe feliciſſimi ac celeberrimi, opera omnia in V. tomos diſtributa; Editio nouiſſima, Lugdunenſi locupletior, Francofurtenſi auctior, Veneta emendatior, omnium completiſſima et emaculatiſſima; textus SCHROEDERI, MORELLI et LVDOVICI integer adiectus; acceſſerunt notae, conſilia, diſſertationes NIC. CYRILLI, in Regia Vniuerſitate Neapolitana primarii Medicinae practicae Profeſſoris, et regiae Societatis Londinenſis ſocii. Tom. V. *Neapoli* ex offic. typogr. Novelli de Bonis 1728. fol. alph. 38. pl. 5. et tab. aen. 1. *p. 229.* XXI. Decad. II. Actorum medicorum Berolinenſium in incrementum artis et ſcientiarum collectorum et digeſtorum Vol. IX. et X. *Berolini*, apud Godofr. Gedickium 1729. et 1730. 8*uo.* pl. 12½. *p. 233.* *Menſe Junio* nihil. Contenta ſemeſtris poſterioris proxime ſequentur.

III. *Guelpherbyti* ſolertiſſimus naturae ſcrutator D. D. BRüCKMANNVS, ad continuandas *epiſtolas* ſuas *itinerarias* ſeſe accingit, publicaturus theſaurum, quem ex variis a ſe factis itineribus collegit. Epiſtolarum iam nunc editarum numerus dodecadem explet, totidemque groſſis Saxonicis venit. I. agit *de bibliothecis Vindobonenſibus praecipuis.* Wolffenb. 1728. 4*to* pl. 1. cum tab. aen. II. *de chryſocolla Neoſolienſi Hungarica*, pl. 1. III. *de bellariis lapideis Liptouienſibus Hungaricis* pl. 1. cum tab. aen. IV. *de quatuor figuratis curioſis rupibus ad fauces Hercyniae ſyluae prope Ilfeldam.* 1729. pl. 1. cum tab. aen. 2. V. *de templo cathedrali Viennenſi D. STEPHANO dicato.* pl. 1¼. c. tab. aen. VI. *de ouo gallinaceo figurato et terra Vlricana.* pl. 1. c. t. aen. VII. *de figuratis et aliis quibusdam curioſis lapidibus in Electoratu Hannouerano obuiis* pl. 1. c. t. aen. 2. VIII. ſiſtit *memorabilia Bamberġenſia.* pl. 1½. c. t. aen. IX. *animalia rariora viridarii Viennenſis EVGENII FRANCISCI*, Sereniſſimi Principis Sabaudienſis etc. pl. 1.

 X. diſ-

X. differit *de terrestri cole.* pl. 1. c. t. aen. XI. *de quibusdam figuratis Hungariae lapidibus.* pl. 1. c. t. aen. XII. *de gigantum dentibus.* pl. 1. c. t. aen. Idem clarissimus A. *Bibliothecam metallicam*, vt et *descriptionem omnium potus generum vsquam vsitatorum* bibliopolis offert; quarum illa 16. vel 20. philyras, haec duo ferme alphabeta typis impressa conficiet.

IIII. *Ex Litteris Dn. Lic. JOH. SAM. CARLII ad D. D. JOH. CHRISTOPH. GOETZIVM.* In aula quadam ducem exercitus podagra decumbentem inuisens, autor ei eram suasorque, vt curam, debitae ac genuinae diaetae habita ratione, potissimum absolueret, ab omnibus medicamentis, anodynis praesertim, tam internis, quam externis, abstinendo. Quibus, vt sole meridiano clarioribus, et experientia suffultis, annuebat. Narrabat autem mihi hac occasione, amicorum quendam, tribunum nempe militum, Moguntiae nuper mortuum esse, postquam curam lacteam in arthritide infixata adhibuerat. Vnde noua mihi suppeditabatur obseruatio, qua curae lacteae difficultatem, et quam caute cum ea procedendum sit, addiscerem, aliosque edocere possem. Aliquot enim abhinc annis cum venerando et ingenuo D. D. BRVNNERO seniore, consultationem habui medicam, vbi inter alia curam suam lacteam magnis laudibus depraedicauit, quippe qua tanto cum fructu per quadriennium iam vsus fuerat, vt podagra, calculus, et haemorrhoides inde cessarent. Non equidem audebam eadem tentare, nec tamen etiam venerandi et experti huius senis experimenta in dubium vocare. Breui autem posthaec accidit, vt leui expiraret dysenteria. Licet vero id curae eius lacteae minus adscribere velim, cum aetas eius iam satis prouecta fuerit; vegeta tamen ipsius senectus aliquot adhuc annos illi polliceri videbatur. Interim celeberrimi clarissimique huius medici exemplo plures alii ad curam hancce subeundam inducti sunt, contrario quamuis cum effectu. Et ex his quoque fuit supra dictus tribunus, qui in florida sua iuuentute, sub armis genio liberius indulgens, non leuem ex arthritide suppressa contracturam quadragenarius incurrebat, parum ab aliis, nisi puluerum absorbentium nitrosorum vsu, leuatus. De cura autem hac lactea audiens, totum se illi tradidit, nihil comedendo, nihil bibendo, nisi lac, pauca iuscula et carnes vitulinas. De omnibus quidem monebatur difficultatibus, sed nullae eum deterrebant, quin potius omnes cautelas, cum vsu interposito laxantium, absorbentium, etc. nec non abstinentia ab acidis, exaestuantibus, acribus, crudis &c. rebus, auide eum in finem arripiebat, ne spe sua lactea fru-

stra-

ſtraretur. Quandoquidem vero plerumque fit, vt permulti magnorum ac clarorum virorum conſilia et exempla ſequantur: contrariari quidem decorum medici-politicum diſſuaſit; omnes tamen praecautiones tacite ſubnectere ſtudui. Ordinarium itaque dilutioris infuſi Thée aut Caffée potum, cum lacte temperari commendaui, vnde etiam ſecuro et vtili potiebamur effectu. Vt taceam iam, eiusdem ſecuritatis et efficaciae fuiſſe decocta lignorum, calide, parce, et cum lacte aſinino, aut alio, temperata. Non poſſum non hic commemorare exemplum illuſtriſſimi alicuius Comitis in podagram a maioribus haereditariam proni, cum auus eius admodum adhuc iuuenis ea iugulatus fuerit, quod praecipue cura lactea minus ad votum ſucceſſerit: vnde D. DOLAEVS ſuis curae lacteae elogiis permultas ab hoc exemplo deſumtas cautelas addere debuit. Conſultius igitur videbatur, ſepoſita cura lactea, naturam aquis medicatis, purgantibus e diagr. et ſim. externe autem ſaponi philoſophico, ſpirit. vini camph. aſſuefacere; quieuit quidem ſic podagra, aſt ſingulis fere menſibus recurrit colica haemorrhoidalis et nephritica, tam atrox, vt mors ſingulis paroxyſmis imminere crederetur. Cum his tenerius hocce et cholericum temperamentum ab omni diaeta vegetabilium retrahere, et carnibus vinoque generoſo aſſuefacere, nitebantur; ne ſcilicet flatulentiae excitarentur, ſiquidem colicam ſpasmodicam flatulentam eſſe putabant. Cuncta autem denique rurſus ſedata 1) vſu interno pulu. et eſſent. temperant. nitroſ. 2) quartali laxatione per inf. rhab. ſenn.; 3) ſcarificatione in pedibus circa aequinoctia; 4) fotu ſimplici calido pedum, curatiue ac praeſeruatiue adhibito; 5) diaeta ac animo temperato; aeſtuoſa, pinguia, acria cum vegetabilibus permutando etc. Sic ſecuram ſimplicitatem artificiis ancipitibus oppono, eoque monſtro, partim vile magni quid in ſe recondere, partim autem falſi remotionem ad verum pandere viam. Sed vnicum adhuc his confirmandis addam exemplum. Multi nimirum nuperrima hyeme obtingebant quartanarii. His miſerum equidem, aſt ſecurum impertiebam ſolatium: malum hocce ad proximum vsque ver patienter ferendum eſſe. Autumni initium in quartana, verno demum tempore ſecurum eius exitum proferre. Pro incruſtando autem hoc conſilio adhibebam virtutem in verbis et herbis. Exhibebam quippe, poſt digeſtiua et lenia laxantia, pro more meo, amara, praecipue quidem pilulas polychreſtas veras, non minus autem etiam infuſa, extracta, electuaria, decocta amara. Qui igitur lento ſic gradu protrahere ſeſe patiebantur, eorum res, poſt aequinoctium vernale, in vado erant; caeteri autem medicinam

languidam porrigere et accipere pertaesi; summum mox periculum indurationis abdominis, cachexiae, hecticae, mortis incurrebant. Quaeritur nunc, quamnam ingressuri simus semitam? vtrum lentam ad vitam, an celerem ad mortem? Binis tantum indiuidualibus exemplis rem illustrabo: incidunt in hanc febrem duo fratres germani annorum XL. et L. idque quidem ex animi motibus; medicus mox post digestiua, laxantia, propinat chinam. Febris turbatur, non sistitur; succedit hectica, ascites, mors. Numne credam, solum morbi ordinem eo tetendisse; an potius Chinam promouisse? Quaenam ex his obseruatio frequentior, et attentione dignior? Commendatur igitur merito et commendabitur obseruatio frequens, necessaria, vtilis, contra raram curiositatem, et nec necessariam, nec vtilem in obseruatione. *Haec ille.* Notamus autem adhuc, ipsum b. Dn. Lib. Bar. de BRVNN curam suam lacteam descripsisse, multumque laudasse in Act. Phys. Med. Acad. Nat. Cur. Vol. I. Obs. CXXVII. p. 272. *Saponem* autem *philosophicum* esse tincturam Antimonii cum ol. iunip. saturatam, et leni evaporatione inspissatam; de quo vlterius videri poterunt D. D. DIPPELIVS in vit. anim. morb. et medic. p. m. 93. nec non Autores in Specim. nostr. XXXIII. p. 181. iam commemorati.

D. D. GEOR. FRID. GVTERMANNI obseruatio *de sero lactis medicato.*

Vtilissima sane est methodus, ab Illustri Hoffmanno, quem Deus Oraculum medicum constituit, praemonstrata, acidulas cum lacte remixtas bibendi. Inter eos, qui meis consiliis vsi sunt, aegrotos, hoc anno iterum fuere aliquot, qui Selteranas aquas potarunt confusas cum lacte, et quidem caprillo vel bubulo, quia quadrupedum istud asinorum genus nostra tellus aut vicinia non alit. Quo igitur illis eam aquae soteriae quantitatem, quae praestando sperato effectui par esset, propinarem, atque in iusta copia id boni, quod lac, ambrosinum illud humani corporis tam sani quam aegroti sustentandi atque reficiendi nectar, in se recondit, vnde salubrem suam efficaciam nanciscitur, conferrem, ita tamen, vt potantes nimio acidularum et lactis haustu non obruerentur, simul autem caseosum atque inutile magma arceretur, id consilii inii, vt ad ductum modo laudati, neque vnquam sine honoris prooemio nuncupandi D. D. HOFFMANNI, primo

mo *Lac* in vafe terreo leni igne *euaporari*, eiusque dein offae, dum refriguit, deftinatam *aquae Selteranae* portionem *affundi*, atque hoc pacto *faccharum* illud *lactis verum* non adulteratum agitando *folvi et extrahi* curaui. Ita libra vna *aquae* huius *lacteae*, fiue acidularum Selteranarum *fero lactis* impraegnatarum, conftitit non modo ex integra fontis foterii libra, fed et ex aequali, vel, fi placuiffet, exfuperante, lactis laudabilis portione. Neque poffum intermittere, quo minus optimum praedicem effectum, quem eminentius prae reliquis praeftitit litterato cuidam viro iuueni, in Imperiali Monafterio V***. Prof. antehac malo hypochondriaco-flatulento, atque arthritico faepiffime diuexato, atque admodum infirmato, nunc autem optime valenti. Alias *ferum lactis genuinum dulce* impetrare confueui fine euaporatione, fineque vllius ne minime quidem aciduli additione. Videlicet experimento e culina petito, *lactis* v. gr. *libras duas* in lebete leni igni exponi, et quando iamiam bulliet, *fex vel octo oua* gallinacea addi iubeo, ita fub blando ignis fotu oua cum lactis parte cafeofa coëunt, atque fponte fecedit ipfiffimum ferum omne atque dulciffimum. Simpliciffimam hancce atque optimam lac coagulandi enchirefin olim mihi innuit Excell Dn. D. ALEX. CAMERARIVS, Prof. P. O. Tubing. Celeb. Quid Gallorum *Lait coupé* fit, cum etiam, quantum noui, non nifi per traditionem conftet, modum illud parandi licitum erit adiungere, eumque ab illo, quem edocet Celeb. Dn. D. BOECLER, Prof. P. Argent. in *Cynofura materiae medicae continuata*, *p. 794.* fub nomine *Leuis Lactis Curae*, paulo difcrepantem: Nempe *avenae atque hordei in aq. font. lot, ana manip. j.* fuper leni igne coquitur *c. aq. fontan.* ℔*ij* ad remanentiam partis dimidiae. Sic quoque coquuntur ℔*ij. lactis*, et dum blande ebullit Lac, *pellicula*, in fuperficie fubinde comparens, toties remouetur, donec vna lactis libra fuperfit, quae deinde confunditur cum decocto avenae et hordei per linteum colato, atque addito *faccharo*, q. pl. vfurpatur, vti cum fero lactis fieri decet et affolet.

Differtatio phyfica experimentalis *de igne*, quam Praefide D. D. JOH. JACOBO SACHSIO, Med. et Phyf. P. P. Argentor. die 30. Aprilis A. 1731. publice defendit *Joh. Phil. Grauel*, Argentoratenfis. pl. 5.

Cum experimenta, tefte experientia, mirandas naturalium corporum vires legesque, (quas fedulo rimari Phyfici imprimis mu-

munus eſt) et ex illis pendentes effectus manifeſtent, celeb. Auctor thema phyſicum de igne in hac diſſertatione proponens, experimentisque illuſtrans, et hoc ſibi dictum credidit. Sequentibus autem illa abſoluitur: Primo etymologiam et definitionem ignis exhibet §. 1. Ignem ratione qualitatum diuerſimode ſe habentem, nempe vt calidum et lucidum, conſiderat, easque experimentis firmat §. 2. 3. 4. 5. Ignem ratione loci in ſubterraneum et ſupraterraneum §. 6. ignem vero viuum in flammam, prunam et ſcintillam, quae vt ſpecies inter ſe differunt, §. 7. diſtinguit. Porro varias proprietates ignis actualis, et quidem ſeptem, tradit: prima conſiſtit in ſumma partium ſuarum tenuitate, motui celerrimo perquam apta. §. 8. Secunda in leuitate, qua ob eandem tenuitatem minori, quam alia corpora, gaudet pondere, §. 9. Tertia in mobilitate ſumma, qua ignis non tantum quoad ſuas partes celerrime mouetur, ſed etiam propinqua corpora in ſimilem motum abripit, §. 10. Quarta proprietas eſt elaſticitas ignis, qua idem, modo in minus, mox in maius, volumen rapitur. §. 11. Quinta eſt vis in illo electrica, qua corpora perquam leuia et igni vicina attrahuntur et repelluntur §. 12. Sexta eſt calor, qui in organum noſtri tactus ſenſibiliter admodum agit §. 13. Septima et vltima proprietas eſt lux, quae ſenſationem in organo viſus producit §. 14. Denique de cauſa interna ignis in genere ſpectati §. 15. et de cauſa principali externa ignis calidi et actualis, variis experimentis adductis, diſſerit §. 16. Vltimo vero de interitu ignis, ſicut de eiusdem ortu, varia per experimenta comprobat §. 17. et 18.

LIBRI NOVI.

I. Des Herrn ANTOINE tractat von den Augen-Kranckheiten, ꝛc. i. e. D. ANTOINE Chirurgi Regii Gallici in vrbe Merii ad Sequanam, tractatus de morbis oculorum, in quo ſtructura oculi anatomice et phyſice explicatur, et methodus curandi morbos eius ſincere atque perſpicue demonſtratur. Accedunt variae et curioſae annotationes quorundam membrorum Academiae ſcientiarum Pariſienſis, vt et D. PALFYN, lectoris Chirurgiae Gandauii, de vera conſtitutione cataractae, vna cum epiſtola curioſa D. de WOOLHOVSE ad D. PALFYN, et D. DOMINICI ANEL noua methodo curandi fiſtulas lacrymales; ob praeſtantiam ſuam ex gallica et belgica lingua in germanicam translatus, et praefatione, in qua docetur, quomodo atheus theoreticus ex ſtructura oculi conuincendus, et exiſtentia DEI demonſtranda ſit, auctus. Editus a JOH. TIMME, Med. D. et Pract. Bremenſ. *Bremae* apud Phil. Godofr. Sauermanni haeredes 1731. 8*uo* alph. 2. pl. 7. cum fig. aeri inciſ.

II. Die Religion eines Medici, i. e. Religio Medici, ex gallica lingua in germanicam translata, et praefatione aucta a J. A. R. Med. Doct. *Halberſtadii* proſtat in bibliopolio Chriſt. Frid. Schoppii 1731. 8*uo* pl. 4. et dimid.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas quinta.

Norimbergae a. d. XXX. JANVARII clɔ Iɔcc XXXII.

I.



Ndicauimus *Spec. XXXVIII. p. 220.* Botanophilum quendam de publico optime mereri cupidum consilium cepisse *de herbariis viuis copiose adornandis et admodum tolerabili pretio comparandis*, eiusque mentem vberius ibidem explicauimus. Vtilitas inde vberrime redundatura amatores facile praedicebat, neque etiam spes fallebat. Paulo enim post, ex quo institutum hocce publicatum fuit, numerus tunc quidem praefixus possessores suos inuenit. Feliciter sic facto initio exemplaria nunc extraduntur iis, ad quos pertinent. Nostri est quaedam de labore peracto commemorare. Cuiuis volumini hic praefigitur titulus: *Herbarium viuum recens collectum, in quo centuriae quinque plantarum officinalium a Clariss. materia medicae scriptoribus, ETTMüLLERO, HERMANNO, SAM. DALE et SCHROEDERO recensitarum, tum et nonnullarum sacris litteris, autoribus classicis, et oeconomico vsu celebratarum, singularum magna diligentia, vt luculentiori plantarum cognitioni inseruire possint, exsiccatarum, et methodo hactenus probata durabilium redditarum, in natura, quod vocant, repraesentantur. Vlmae apud Dan. Bartholomaei et filium.* Forma est ea, quae dicitur in folio: foliorum numerauimus 183. Quoduis folium ex charta nitida, a tergo caerulescente munita, constat, et comprehendit nunc duas, nunc tres, quandoque plures, si minores, plantas: singulis plantis adiectus est numerus, nomen plantae ex catalogo (de quo mox plura) petendum indigitans: insuper subiecta est schedula, vario hortorum vel agrorum conspectu aeri inciso exornata, pro nomine, si placet, adscribendo. Plantae ipsae satis apte sunt explicatae et in statu natu-

rali, quantum poſſibile, conſeruatae. Concomitatur vnumquodque volumen *mantiſſa botanologiae iuuenilis, in qua de neceſſitate, herbaria, quae vocant, viua, bono publico tradendi, deque ea conficiendi methodo, dilucide agitur. Vlmae apud Dan. Bartholomaei et filium 1732. 8. pl. 5. ½.* In hac, poſtquam neceſſitatem atque praeſtantiam herbariorum viuorum inculcauit ſolertiſſimus A. exponit ſucceſſum conſilii, quod ad illa conficienda ceperat, eo quoque ſpectantis, vt experimentum fieret, annon homines non litteratos in auxilium hic vocare liceret: quo quidem ipſo iam vſu ſatis ſpectato, in poſterum continuationem faciliorem fore cognouit, illique procurandae operam et ſtudium ſuum promittit. Addit praeterea: *varia emtorum intentio et conditio in concinnandis nouis iſtis herbariis non eandem inire iubet rationem. Qui pauca mole, plures easque non niſi medico, vel oeconomico vſu, vel alio modo ſingulariter celebratas plantas addiſcere volunt, iis extradetur herbarium viuum plantarum ſemi-millenarium exhibens, et ex aſſe illi ſimile, quod* in commercio litterario l. c. *vberius delineatum fuit; idque pretio duorum florenorum Rhenanorum cum ſemiſſe, vel vnius Thaleri cum ſedecim groſſis bonis; Qui vero propriis manibus collecta herbaria viua hac occaſione ſaltem augere cupiunt, ii pro lubitu ex ſequenti catalogo, quaecunque ſuas collectiones adhuc deſtituant, plantas, indicabunt, easque ſingulis plagulis ſingulas agglutinatas obtinebunt: tum vero ſingulae centuriae pretium vnius floreni erit, vel ſedecim groſſorum. Millenarii vero, nouem florenornm. Fere autem opus eſt, vt pro qualibet centuria plantarum expetendarum, viginti adhuc ſupernumerariae praeter illas, nominentur; vt ſi forte ex illis quaedam interciderint, id harum quibusdam redintegretur. Interim vt de numero inſtituendae collectionis certius conſtet, a primo Februarii ad medium Martii anni 1732. beneuolas expectabimus inſtitutum hoc amantium ſubſcriptiones, praenumerato ſimul ſupra indicato pretio: Sicque eo, quo par eſt, optimo adhibito ſtudio, exemplaria vel herbariorum viuorum faſciculi in fine Septembris eiusdem anni, adiuuante Deo, ſuis extradentur locis. Portoria vero tum litterarum, tum librorum iſtorum cauſa expendenda, ſollicite ſuſcipiant emptores omnium ordinum honoratiſſimi; quibus non deerunt amici et Patroni, quos huius inſtituti cauſa adire, ab iisque teſſeras accipere poterunt.* His l. c. indicatis, etiam addit *Dn. Dan. Bartholomaei et filium*, bibliopolas Vlmenſes celebres. Quibus praemiſſis exhibet Cl. A. catalogum ipſum alio tempore locupletiorem edendum. Praeſens vltra mille continet plantarum ſpecies, quarum nomina ſuos ſimul indicant autores. Hunc ſequitur *methodus conficiendi herbaria viua*, qua tempus colligendi plantas, modus easdem exſiccandi, agglutinandi et conſeruandi docetur. Vltimo monet, *nomina,*

mina, licet apta satis, ex arbitrio tamen danda non esse, sed semper consueta scriptoris cuiusdam Botanici celebrioris appellatione praecise vtendum. Qui secus facit, is stupendum synonymorum plantarum numerum perperam auget, nouumque nouo in pinace locum ambitiosus petere, vel ei similis esse videtur, qui lingua vel idiomate omnibus ignoto locutus sit; praeterquam cum planta describenda noua, vel inter nouas et iam descriptas summe ambigua vocari possit. Ex litteris Cl. Autoris addimus *mantissam* supra memoratam seorsim venalem prostare pro 7½. crucigeris vel 2. grossis saxonicis, *Botanologiam* vero *iuuenilem* ipsam, in Specimine saepius citato nostro promissam, nondum esse absolutam.

II. *Ex Litteris* Dom. Lic. J. S. CARLII, ad D.D. GOETZIVM: Occasione Speciminis vestri XXIII. n. 1. et ego oleo talci, per oleum vitrioli dulce et rectificatum extracto, aliam adhuc originem, quam ipsum oleum vitrioli, assignarem, spiritum nempe vini, qui est mixtura ex aqua et oleo. Interueniente acido et sale mixtio haec diuellitur, et oleum secedit. Chymia Stahliana haec fundamenta, et experimenta edocet et demonstrat. Ergo oleum hoc neque e talco, neque ex oleo vitrioli, sed e spiritu vini rectificato, qui est aqua oleosa, prodit. *Conf. D. D. G. E. STAHL Experim. Obseruat. Animadu. chym. et phys. §. LXXV. p. 105. seqq.*

III. *Ex Litteris* Dom. Lic. CHRISTIAN. FRID. JOERDENS *Curiae Variscorum a. d. 1. Nouembr. 1731. ad Eundem scriptis:* D. D. GEELHAVSEN in Specimine Commercii Litterarii XI. p. 85. mediante *menstruo*, ab illo sic dicto, *Beeriano* e talci pinguis puluere *oleum talci* verum parare docuit. De successu promisso statim dubitaui. Duo enim extrema sine medio nullam veram ineunt coniunctionem. Insuper in memoriam rediit, menstruum illud solum et sibi relictum in se oleum continere. Elaboraui vtrumque, illud nempe a D.D. GEELHAVSEN descriptum, et pro oleo talci vero habitum, et illud e solo menstruo, vel spiritu subtilissimo, digestione et abstractione mediante, obtinendum. Absolutis laboribus, hoc priori oleo per omnia simillimum deprehendi. Quare olei talci nomen ipsi tribui nequaquam potest. Hanc veritatem quiuis diligenti facta praeparatione inueniet. Si Deus vitam et otium concedet, imposterum quaedam de mirabili illo menstruo aut spiritu, et quae circa olei talci praeparationem tentaui, communicabo.

Definitiones plantarum, quum ſummis auſpiciis Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI AVGVSTI Regis Poloniarum et Electoris Saxoniae, Domini ſui clementiſſimi, Africam occidentalem verſus iter ſuſciperet, gratioſae Facultatis medicae indultu, Lipſiae d. 22. Aug. 1731. diſcipulis ſuis exhibet, perennem ſui memoriam eſſe cupiens JOH. ERN. HEBENSTREIT, Neoſtad. Variſcus, Phil. ac Med. D. Acad. Caeſ. Leopold. Cur. Socius, Reſpondente itineris comite, CHRISTIAN. AVG. EBERSBACH Schlesvvigo-Holſ. Med. Stud. *Lipſ.* Litt. Joh. Chriſt. Langenheimii, 4. pl. 5½.

Iucundum aeque ac vtile, imo neceſſarium eſt, diuitias naturae perluſtrare cupienti, vt ordine quodam procedat. Hic ſane hodegus eſt ille fidelis, qui noſtris temporibus tot tantosque detexit theſauros, a veteribus praeteruiſos. Memoriam hinc ſempiternam merito conſequuti ſunt iſti Viri, qui non tam ſibi ipſis, quam etiam aliis, eundem compararunt. Hos inter non vltimum locum occupabit Cl. A. noſter. Quatuor ferme praeterlapſi ſunt anni, ex quo idem pari eruditione, diſſertationem phyſicam, *de ordinibus conchyliorum methodica ratione inſtituendis*, Lipſiae quoque ventilauit, eaque *conſpectum genericum conchyliorum Horti Caſpar-Boſiani* ſimul publicauit. Hocce ſpecimine definitiones plantarum, ad euitandum homonymiae et ſynonymiae cacoëthes, firmare conatur. §. 1. *pag 3*. Definitio plantarum ipſi eſt *actio mentis in plantam quamcunque obuiam, qua, cognito charactere, qui plantae vni ſoli et ſemper ineſt, illa, cum congeneribus coniungitur, a disgeneribus ſeparatur, donec per ſcalam generum ſummorum, mediorum et infimi, peculiari aliquo et ſeparato ab omnibus reliquis loco ſtare, et proprio ſuo generico nomine gaudere poſſit.* Difficultatem autem agnoſcit, qua ſignificantes apte terminos et notiones ſat luculentas, de quarum valore inter plures conſtet, inuenire vix licet, indeque defectum deducit methodorum hactenus conditarum; attamen, ne omnibus viribus maius hoc opus eſſe videatur, tentamine aliquo, in notioribus generibus facto, exemplum parare decreuit. §. 2. *p. 4. 5.* Ipſas diuerſas Auctorum methodos examinare ſuperſedet Cl. A. quia in diſſertatione *de conti-*

nuanda

nuanda RIVINORVM industria, in eruendo plantarum charactere, sub Praesidio Excell. LISCHWIZII habita, id fusius ab ipso actum fuit. De eo etiam conueniri inter plures arbitratur, *floris primam esse debere in planta definienda considerationem, imo omnium eius partium, deinde fructus, et florendi modi*, in corymbo scilicet, thyrso etc. *et paulo post perianthii, et si qua alia fuerint, dummodo non extra floris et fructificationis limites sint: euitanda vero, quantum fieri potest, esse, quae ex habitu externo petuntur, signa.* §. 3. *p.* 5-7. Hisce praemissis, per exempla rem ipsam clariorem reddit, et quidem primo *genera summa seu classes* ex floris compositione definit, deinde *genera media seu ordines* ex fructus fabrica diuersa constituit, tandemque *genera subalterna et infima* ex floris figura (terminis TOVRNEFORTIO vsitatis in monopetalis exposita) situ ac reliquis signis euoluit: vbique vero *herbas et arbores* simul, et quidem tabularum quasi forma, proponit. Quum autem non nisi ipsa connexio sufficientem ideam systematis a cl. A. propositi suppeditare valeat, summa tantum genera indicare, reliquarum vero specimen, particula aliqua cuiusdam tabulae transscripta, exhibere licitum erit. Incipit cl. A. §. 4. *p.* 7. ab *ordine plantarum flore perfecto seu petalode, regulari, simplici, monopetalo.* Sequitur §. 5. *p.* 11. *ordo dipetalorum*, quem ex nostratibus *Circaea* tantum atque *Stellaria aquatica* componunt. *p.* 12. maiorem paulo copiam comprehendit *ordo tripetalorum*, ad quem condendum inculcat hos neque cum hexapetalis neque cum stamineis esse confundendos. §. 6. *p.* 13. ad *tetrapetalos* progrediens, monet cl. A. difficultatem, quam monopetali quadrifidi, florem perfecte tetrapetalum mentientes, aliquando hic struunt, ex integritate fundi esse diiudicandam. Particula tabulae huius ordinis speciminis loco esto:

I. Semine nudo vnico, floribus in spica compacta, *Sanguisorba*; in spica laxa, flore herbaceo, *Passerina*; flore in summitate confertim herbaceo, *Alchimilla.*

II. Seminibus quatuor nudis, flore in spicam collecto, *Potamogeton*; verticillato, *Fontinalis*; solitario, *Tormentilla.*

III. Seminibus pluribus nudis
pappescentibus, flore in summitate confertim posito, *Flammula*; solitario, *Clematis*;
solidis, *Thalictrum.*

IV. Capsula simplici &c. &c.

§. 7. *pag.* 16 proponit *pentapetalorum* ordinem, quem TOVRNEFORTIVS lubricis atque incertis passibus cum dipetalis, tripetalis, nonnullisque tetrapetalis, promiscue termino rosaceorum, tradidit. §. 8.

pag 19 ad *hexapetalos* proueniens, ſententiam ſuam de plantis numero quandoque petalorum variantibus exponit, et leuem hanc anomaliam ad circulos turbandos haud ſufficere, iudicat. §. 9. *pag*. 21. de *polypetalis* agit, omnesque numerum petalorum ſenarium transſcendentes huc refert, et Dom. Autori ceteri, qui termino hocce in doctrina de tripetalis, tetrapetalis, pentapetalis et hexapetalis vtuntur, praecoci nimis ſaltu progredi velle videntur. §. 10. *p*. 22. *Plantas flore compoſito* aggreditur cl. A. Duo requiri, iudicat, ad floris compoſiti indolem: 1) perianthii communis praeſentiam, 2) proprii abſentiam. Alii componuntur ex *meris floſculis*, alii ex *petalis et floſculis*. Priores vel ex diuerſi generis elementis fiunt, *floſculis ſcilicet irregularibus ſeu ſemifloſculis* radium, *floſculis regularibus* vero diſcum occupantibus: vel vnius generis partes agnoſcunt, quas vel ex *regularibus*, ſi diſcus ſit nudus, vel *ex irregularibus*, ſi flos ſit excauatus, tantum fieri addiſcimus. Tabulae horum §. 10. 11. 12. *p*. 22. - 27. exhibentur. *Pag* 26. ſeorſim annotatur flores ex floſculis irregularibus ſeu ſemifloſculis tantum compoſitos concauam; eos vero ex floſculis irregularibus, propriisque ſuis perianthiis inſtructis, conflatos, conuexam exhibere figuram, hincque facile integrum hunc ordinem *in claſſem florum concauorum et conuexorum* diuidi poſſe. Sed maluit cl. A. vere compoſitis ſuum ſeruare honorem, reliquis vero alium deſtinare locum. §. 13. *p*. 27. *flores ex petalis et floſculis compoſitos* recenſet, quorſum etiam, ſecundum RIVINVM, refert *Aconitum hyemale*, *Helleborum*, *Nigellam*, atque obiectionem TOVRNEFORTII remouet. *Nymphaea* an hic, vel inter polypetalos ſimplices, ſit recenſenda, dubius eſt; poſterius tamen ei magis arridet. §. 14. *p*. 28. nouum ordinem condit cl. A. pro iis floribus compoſitis, quos *conuexos* appellari poſſe ſuperius indigitauit, *aggregatos* vero nominare maluit, eosque definit, quod perianthio communi gaudeant, et in eodem thalamo quieſcant, adeoque floris compoſiti indolem ingeniumque aſſequantur. Refert *huc Sphaerocephalum*, *Globulariam*, *Dipſacum*, *Succiſam*, *Scabioſam*, *Eryngium*, *Staticen*. §. 15. *p*. 29. ſequuntur *plantae flore irregulari* Explicato irregularitatis termino, addit cl. A. *ſicut non niſi ſimplices exiſtunt*, *qui irregulares audiunt flores; ita et quotquot exiſtunt, vltra hexapetalum numerum non excurrunt*, *eo quidem ordine*, *vt* monopetalorum claſſem, plantae verticillatae; tetrapetalorum, papilionaceae; pentapetalorum, vmbellae *maiorem partem expleant*, dipetalo, *qui iam inter regulares pauperrimus erat*, *hic penitus exſpirante; ſicut* tripetalos praeter *Polygalam et Tradeſcantiam* (ſic appellat Ephemerum Virginianum repens Hermanni) *nulla eſt*, hexapetalorum claſſe *pauciora*

ge-

genera comprehendente. Haec §. 16. 17. 18. 19. fuſius explicat, tabuliſque illuſtrat, ſpeciatim vero §. 18. affirmat: *non alia ratione aut poſſe aut debere nouas ſpecies* vmbelliferarum *ſuis generibus ſubordinari, quam facto* ex ſeminum figura *iudicio, poſt cuius conſiderationem et* floſculorum duplicis generis in eadem vmbella, *et* perianthii *ratio haud parum valebit.* §. 20. p. 42. in conſpectum producuntur *plantae flore imperfecto, ſtamineo et amentaceo.* Agroſtographiam, quae huc pertinet, intactam relinquere, quam mutilam tractare, eique alios circulos deſtinare maluit. §. 21. *p.* 44. agmen claudunt *plantae, quae flore carent non fructu, et quae vtroque deſtituuntur.* Priores conſtituunt *plantae epiphylloſpermae, Lunaria, Oſmunda, Ophiogloſſum, Muſci;* poſteriores *Lichenes et Fungi.* Sed quum poſteriorum ita late pateat ordo, abſtinere, quam iliada in nucem cogere iterum maluit cl. A. Finem facit Epilogus. Haec pro generali tractationis conſpectu ſufficiant. Ex iis, quae cl. A. hinc inde in ſpecie annotauit, potiora adhuc exhibebimus. *Pag. 8. Althea, Alcea,* et *Malua* a ſe inuicem diſtinguuntur, quod prima ſit ad *alas florida,* ſecunda et tertia *in ſummitate,* illa *laciniis ambeſis,* haec *bifidis. P. 9.* adiudicatur *Apocyno flos planus, in medio quinque corniculis ornatus et reflexus:* adeoque diuerſum nomen mereri videtur *Apocynum quod flore eſt conuallium ſeu campanulato.* Characterem *campanulae* conſtituit *flos campaniformis intus piloſus, capſula in tres feneſtras per maturitatem hians.* Seceſſum adeoque faciunt a campanulis *medium,* cuius capſula eſt quinquepartita; *Pentagonia,* quae flore eſt planiore; *Pyramidalis,* ob modum florendi; *Trachelium,* ob florem vere irregularem. *pag. 10. Abutylo Auicennae* adſcribitur capſula multipartita corniculata; *Abutylo Ricini folio* vero capſula multipartita, intra calicem deliteſcens et compreſſa. Additur: non leuis eſt haec differentia, nouumque nomen imperabit. *p. 18. Spiraeam Hyperici folio* generice differre a *Spiraea Theophraſti* iudicatur, quia haec flore ſpicato, illa ad alas poſito, gaudet. *P. 20. Narciſſo-Leucojum ſylueſtre* petalis notatur vnico ordine diſpoſitis; *alterum triphyllum* dictum, flore coronato: dubii fortaſſe et hoc nomine characteris futurum. *Ibidem* occurrit *Ornithogalum,* flore non deciduo ſignatum. Quum vero praeter *ſpicata* alia ſint *vmbellata,* dubium mouetur, vtrum hoc ipſo nomen mutatura? *p. 21.* diſtinguitur flore ſolitario, ſeminibus in conum collectis, *Adonis;* in diſcum poſitis, calyce tripartito, *Hepatica:* multipartito, *Ficaria;* calyce abſente, *Nemoroſa, Anemone,* vix dignae, vt nomine differant. *p. 23.* dignoſcitur calyce ſquamato, diſco conuexo, *Buphthalmum;* diſco plano, *Chryſanthemum;* a quo ſemine lunato *Calendula;* alato *Caltha africana;* cor-

cordiformi *Bellis capitis bonae spei* differunt. *p. 24.* de *Chironiae seu Centaurii maioris* flore radiato quaedam monentur. *Ibidem Asteri* semiflosculi integri; *Jacobaeae* trifidi, adiudicantur. *p. 25.* *Conyzae* species subdiuiduntur; et, quum TOVRNEFORTIVS *Balsamitam* Tanaceti speciem merito fecerit, non dubitatur *Matricariam disco nudo* eodem iure illuc pertinere. *p. 32.* *Nepethae* verus character describitur ex spica verticillata plurima, ex semi-verticillis facta, barbae medio lobo excauato et denticulato: *menthae* quoque species *verticillatae* ab illis *spicatis* separantur. *p. 33.* *Lathyri flore solitario*, ab illis qui *in spica* florent, separantur. *p. 41.* quinque petala galeam, sextum barbam quadripartitam constituunt in *Orchidibus*; sextum barbam in calcar desinentem in *Satyriis*. Plura addere spatium prohibet.

LIBRI NOVI.

I. Syllepsilogia historico - medica. h. e. Conceptionis muliebris consideratio physico-medico-forensis, qua eiusdem locus, organa, materia, modus in atretis seu imperforatis, item signa et impedimenta, deinde didymotokia seu gemellatio, superfoetatio, et embryotokia; et denique varia de grauiditate vera, falsa, occulta et diuturna, nec non de grauidarum priuilegiis, animique pathematis et impressione, raris et curiosis obseruationibus traduntur a D. MART. SCHVRIGIO. Physico Dresdensi. *Dresdae et Lipsiae* sumtibus b. Christoph. Hekelii fil. 1731. *4to* alph. 3. pl. 16.

II. CHRIST. GODOFR. STENZELII, Torgauiensis, artis salutar. et philosophiae Doctoris Facult. med. assessoris et chirurgiae in academia Vitembergensi Prof. publ. Medicina theoretico-practica, aphorismis in vsum auditorum suorum comprehensa. *Francof. et Lips.* impensis Gottl. Henr. Schvvarzii 1732. *8uo* alph. 1 pl. 2.

III. Oeuvres philosophiques ou Demonstration de l' existence de Dieu, tirée de l' art de la nature, dans la premiere partie: et dans la seconde, des preuves purement intellectuelles, et de l' ideé de l' infini meme. Par feu Messire FRANCOIS de SALIGNAC DE LA MOTTE FENELON Archeueque, Duc de Cambrai &c. nouvelle edition, où l'on a joint les lettres du meme Auteur sur divers sujets concernant la Religion et la metaphysique et les sermons. *Amstelod.* apud *Zach. Chatelain* 1731. 8vo. Tom. I. alph. 1. pl. 1. Tom. II. alph. 1. pl. 8. i. e. *Archiepiscopi Cameracensis FENELONI opera philosophica seu demonstratio Existentiae Dei &c noua editio.* Quum prima pars ex physicis potissimum rationibus demonstrationes colligat, mentionem huius tractatus facere, a scopo nostro haud alienum esse censuimus.

IV. Dissertatio inaug. *de harmonico morborum nexu*, Praes. IVO. JO. STAHLIVS, Respond. JOH. MART. HERMISCH. *Erford* d. 18. Jan. 1731. pl. 4.

V. Dissertatio inaug. *de infarctu pulmonum* Praes. LAVR. THEOPH. LVTHER, Resp. MART. WILH. KOCH. *Ibid* d. 21. Febr. 1731. pl. 3. cum dimid.

VI. Dissert. inaugur. *de medicina simplicissima summae efficaciae.* Pr. FR. HOFFMANNVS, Resp. LVC. THEOD. PYL. *Halae Magd.* mens. Mart. 1731. pl. 5. cum dimid.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas ſexta.

Norimbergae a. d. VI. FEBRVARII cIↄ Iↄcc*XXXII.*

I.



X litteris *Petropoli* ſcriptis edocemur, D. D. JOH. FREDR. SCHREIBERVM itinere, quod in Ruſſiam ſuſceperat, (*vid. Spec. XXVII. p. 209.*) confecto, ſaluum et incolumen Rigam perueniſſe, vbi medicum primarium agat Praetorii militaris. (Stabs-Medicus der daſigen Rußiſchen Armee.) Ante vero quam illuc aduentarit, nouam ipſi, Petropolim tranſeunti, honoris dignitatisque factam eſſe acceſſionem. Nam aliquamdiu hic commoratum ab illuſtriſſima, quae ibidem floret, Academia ſcientiarum in ampliſſimum ſociorum ordinem receptum, et Profeſſoris Honorarii titulo cohoneſtatum eſſe. Atque hac illum occaſione, ſpecimen aliquod eruditionis et doctrinae ſuae non vulgaris editurum, ſuas de corpore et motu inſtitutas meditationes in conuentu Academico praelegiſſe; quas, typis poſtmodum exſcriptas, hunc prae ſe ferre titulum: JOANNIS FREDRICI SCHREIBER, *Regiomontani, corporis et motus conſideratio. Inſtituta coram Academia ſcientiarum Petropolitana, cum III. Nonarum Octob. MDCC XXXI. in eandem reciperetur. pl. 3.* Eaedem porro litterae ſpem confirmant, quam de continuandis elementis ipſius phyſicomathematicis medicinae ſpecimina noſtra loc. cit. faciunt; aſſeruntque fore, vt nouus eorum tomus propediem luci publicae ſiſtatur. Indidem expreſſis verbis ſignificatur, quod *Spec. XIII. p. 97.* innueramus, eundem Virum celeberrimum in eo nunc eſſe, vt D. D. FRID. RVYSCHII, Anatomici et Botanici apud Batauos Principis, et ſui quondam Praeceptoris, vitam memoriamque debitis laudi-

bus profequatur, er pofteritati commendet, recenfendo paulo fufius, quae ad vitam eius animique mores, tum et merita in vniuerfam rem medicam praeclariffima, pertinent.

II. *Hala Saxonum* refertur a. d. 24. Decem. a. p. Dom. BENI. SAM. KNOLLIVM, Med. Candidatum, qui curandis aegrotis in orphanotrophaeo huc vsque praefuerat, abhinc profectum effe cum Dn. JOH. ERN. GEISTERO, Miffionario Madrafienfi defignato, Tranquebariam fcilicet petiturum, vt munere Medici miffionis S. R. M. Danicae iuffu fungatur, loco b. Dn. Lic. CASP. GOTTL. SCHLEGELMILCHII, qui menf. Nouemb. anni 1729. illuc abierat, anno autem 1730. breui poft fuum aduentum ibidem exfpirauit.

III. Diarii litterarii, quod *Bibliotheque raifonée des ouvrages des Savans de l' Europe* dicitur, *Amftelodami* apud Wetfteins et Smith impreffi, Tomus VI. eiusque *Pars prior*, ea complectens, quae menfibus *Januario*, *Februario et Martio*, *Ann. praeter. 1731.* a clariffimis inftituti huius Autoribus et Collectoribus recenfita funt ex omni eruditionis genere proftantia fcripta, inter alia haec habet, ad medicinam et phyficam facientia: et quidem Articulo quarto: DANIELIS VINCK Med. Doct. *amoenitates philologico-medicas etc. Traiecti ad Rhenum* apud Guilielmum Croon. *Conf. Commerc. litter. noftri Spec. VII. p 53.* Articulo feptimo *Hiftoriam medicinae a rerum initio ad annum vrbis Romae DXXXV. deductam*, *ftudio* JOH. HENR. SCHVLZII, Med. D. et P. P. Altorf. Acad. Nat. Cur. Collegae. Accedunt Tab. aen. Chronologica et indices. *Lipfiae* ap. Petr. Conr. Monath. 1728. in 4. pag. 437. Articulo octauo continentur JOHANNIS CAII, Britanni, *de canibus Britannicis* Liber vnus. *De rariorum animalium et ftirpium hiftoria*, liber vnus; de libris propriis, liber vnus; de pronunciatione graecae et latinae linguae, cum fcriptione noua, libellus; ad optimorum exemplarium fidem recogniti â S. JEBB. M. D. *Londini*, impenfis Car. Dauis, in Vico, vulgo dicto Pater-nofter-Rovv. 1729. 8*uo*. pag. 249. Accedit epiftola dedicatoria et index. *Pars pofterior*, quae *Aprilem*, *Majum et Junium*, comprehendit, nihil de iis tangit, quae ad forum noftrum fpectant.

IV. In alio Diario litterario, fub titulo *Bibliotheque Italique, Geneuae* apud Marcum Mich. Bousquet et focios proftante, eiusque Tom. IX. qui Acta litteraria, Menfibus *Septembri, Octobri, Nouembri, Decembri*; An. 1730. complectitur, Articulo quarto legimus

gimus *continuationem dissertationis epistolaris* a Comite quodam Anonymo, *de charactere Italorum* conscriptae; quam hic indicare, Lectoremque beneuolum eo ablegare placuit, eam ob causam, quod Excellentissimus Autor, quum Italiam in omni litterarum atque studiorum genere cultam in hoc scripto perlaudat,eum quoque ordinem tetigit, qui Medicorum est; hincque omnes, qui de physica, medicina, botanica, anatomia, chymia, praeclare meriti sunt, eruditos viros, suis quemque encomiis nominauit; quorum egregia scripta et edita, Clar. huius diarii Collectores in commentariis suis adiectis, fusius enarrant; vti videre licet *p. 206. seqq.*

D. D. ERN. GOTTH. STRVVII obseruatio *de sudore particulari mediam abdominis regionem instar zonae ad palmae latitudinem perfundente.*

Vir ex illustrissimo stemmate XXVIII. forte annorum, tenerioris et imbecillioris corporis habitus, de incontinentiae vrinae quadam specie,ad diabeten fere accedente, conqueritur. Scilicet diutius protracto prandio detentus, etiamsi modice biberet, ad inuoluntarium vrinae effluxum praecauendum saepius sese surripere cogebatur. Nulla suspicio calculi, vel renis, vel vesicae, nulla hypochondriorum labes, atoniae sphincteris vesicae, vel viarum vrinariarum, causam solummodo in veneris frequentius exercitium reiicere poterat. Quippe iuuenculam vigorosam ante biennium in matrimonium duxerat, et proli masculae suscipiendae intentus omnes veneris intendebat neruos. In consilium vocato succurrebat memoriae vsus *tincturae cochinillae*, quam antea in binis casibus incontinentiae vrinae, aliisque vrinae vitiis,proficuam expertus fueram. Commendabam hinc eam eo cum successu, vt vix 4. et 5. elapsis diebus vrinae fluxum ordinarium, et vires in ea retinendo redintegrales cum emolumento, laudaret illustr. Patiens. Sed en nouam querelam! Succedebat in media regione abdominis profusissimus sudor,ad palmae latitudinem in statione illam ambiens, reliquis corporis partibus plane siccis. Insitati symptomatis nouitate commotus aeger grauiora metuebat, eandem vero tincturam vt continuaret, auctor fui suasorque, quae etiam illud incommodum,intra aliquot dierum circuitus felicissime leuabat. Si coniecturae locus est, retrogradum humoris serosi, per vrinarias vias frequentius extra voluntatem effluentis,cursum ad emulgentes venas,roboratis per tonicas vires co-

chinillae vreteribus deflexiſſe, illisque immodice diſtentis, et venae cauae in dorſo, et arteriae deſcendentis truncum obruiſſe, eoque profuſiorem in ea regione ſudorem excitaſſe, ſuſpicor, qui deinde ſucceſſiue per continuatum vſum cochinillae, repreſſus fuit et leuatus. De ſudore particulari in variis partibus corporis, in fronte, naribus, dorſo, pectore, manibus, pedibus, vel etiam in vno tantum latere, variae apud auctores leguntur hiſtoriae, ſed quae cum allata conueniant, nullae ſeſe annotationi meae exhibent. Alias etiam eryſipelatis ſub zonae vel ζωςῆρος nomine extant exempla, periculoſioris ſemper euentus allegata. Ante aliquot fere annos in matrona generoſa 60. annorum illius typum obſeruare licuit, datis lenioribus temperantibus pulu. et eſſentia alexipharm. intra octiduum optatiſſimo ſucceſſu curati.

Miſcellanea phyſico-medica-mathematica, oder angenehme, curieuſe und nützliche Nachrichten von ꝛc. Miſcellanea phyſico-medico-mathematica, ſiue relationes iucundae, curioſae et vtiles hiſtoriarum phyſicarum et medicarum, nec non eo pertinentium technicarum et litterariarum, quae menſibus hyemalibus et vernalibus Anni MDCCXXVII. in Germania aliisque regnis contigerunt aut innotuerunt: exhibentes *1) breuia quaedam diaria meteorologica: 2) prolixas relationes de morbis tempeſtatum in hominibus et brutis: 3) conſtitutionem agri et vegetabilium: 4) varias obſeruationes vtiliores medico-practicas, phyſicas, anatomicas, et ſimilia, juxta cum notabilioribus phaenomenis naturalibus animaduerſis: 5) inuenta noua phyſica, medica, mechanica, optica, aliaque vtilia; ac denique 6) litteraria quaedam medica et phyſica.* Cuncta accurato, quantum fieri potuit, ordine et connexione, cum ſubiunctis inter ea reflexionibus, e commercio multiplici epiſtolico et relationibus virorum eruditorum, communicatis, collegit et edidit D. ANDREAS ELIAS BüCHNER, Inſtit. Med. Prof. Publ. Facult. Med. Aſſeſſ. Extraord. et S. R. I. Acad. Nat. Cur. Collega. Trimeſtre I. et II. An. 1727. *Erford.* typis et impenſis Caroli Friderici Jungnicol, 1731. 4to.

Eorun-

Eorundem menſes aeſtiui et autumnales, ſiue Trimeſtre III. et IV. An. 1727. *Ibid.* apud eund. alph. IV. pl. IV. Fig. aen. Tabb. IV.

Prodiit primo Vratislauiae hoc vtiliſſimum ſane inſtitutum ann. 1718. ſub titulo: Collectanea hiſtoriarum phyſicarum et medicarum, eoque pertinentium technicarum et litterariarum; initium faciens a menſibus aeſtiuis et autumnalibus anni 1717. et in trimeſtria, ſub nomine tentaminum, diuiſum, quorum quatuor ſinguli anni continent. Primus autem eius Autor fuit b. D. D. JOH. KANOLDVS Vratislauienſis, cum ſociis primum D. D. JOH. GEORG. BRVNSCHWITZIO et D. D. JOH. CHRISTIAN. KVNDMANNO, Vratislauienſibus Medicis; dein autem ſolus illud continuauit vsque ad tentamen XXXVII. ſeu Trimeſtre An. 1726. aeſtiuum, vbi morte praematura praeuentus, reliquas operas perficiendas et continuandas reliquit D. D. ANDR. EL. BüCHNERO. Hic non ſolum Tentamen XXXVIII. ſeu Trimeſtre autumnale An. 1726. addidit An. 1730. ſed nunc etiam reſiduos adhuc annos intra breue temporis ſpacium ſe editurum, indicem etiam vniuerſalem in omnes antecedentes propediem exhibiturum, promiſit, vt cum pluribus aliis inſtituti ſui rationibus videre licet e praefatione tentamini dicto praefixa, quas vlterius ſchediaſmatibus peculiaribus impreſſis explicuit, et nos fuſius retulimus in *Specim. noſtro XVIII. n. I. p. 137. XLII. n. V. p. 333. et LI. n. III. p. 403.* quo B. L. remittimus. Ad quae tamen ſub huius recenſionis finem vnicum adhuc monebimus. Plenariam interim in hoc opere contentorum, eorumque ordinis, ſciagraphiam, pandit ipſe titulus; farrago autem materiarum in eo obuenientium prolixiorem, quam anguſtum nobis praeſcriptum ſpacium permittit, requireret recenſionem. Pauca proinde momenta, notatu digniſſima nobis viſa, tantum delibabimus, et denique elenchum virorum eruditorum, ſymbola ſua huc conferentium, ſubiungemus. Sic *Pag. 1.* proponitur D. D. JOH. HIER. KNIPHOFII conſilium de obſeruationibus aërometricis ex accurata inſtrumentorum conſpiratione impoſterum emendandis. *p. 34.* notatur tumor cruris doloroſus, incongruo regimine et vomitorio lethalis euadens. *Pag. 37.* efficacia inſignis oxyſalium in febribus, quae iam in *Act. med. Berol. dec. II. Vol. V. p. 26.* laudantur. *Pag. 38.* Fractura ſterni in annoſioribus feliciter curata. *P. 46.* Cephalaea atrox hypopio ſoluta. *Pag. 47.* Spaſmi pedum et manuum, cum lipothymiis haemorr-

morrhoidibus erumpentibus cessantes. *Pag. 48.* periculosa contusio pectoris, cum fractura costarum et clauiculae, curata. *P 57.* Margarita peregregia prope Coburgum reperta, e communicatione D. D. DONAVERI, a quo similis alia in Vogtlandia inuenta recensetur *Spec. nostro VII. n. II. p. 51. Pag. 89.* Perutile monitum de ventilationibus sanguinis post leniorem hyemem non semper ad aequinoctium vsque differendis. *Pag. 89.* Tumor maxillae saepius recurrens a maxilla per euulsionem dentis imprudentem laesa, et faucium collique tumor inflammatorius insignis in abscessum terminatus et curatus. *P. 90.* Vomitus quorumuis assumtorum octennis, a febre per electuar. chinat. suppressa, ortus, sublatus. *P. 91.* Febricitans delirans absque noxa insigniter refrigeratus. *P. 92.* Diarrhoea per totum decursum variolarum innoxia. *Pag. 94.* Febris tertiana tumore doloroso indicis manus sinistrae in vetula soluta. Radicis Asari in febri quartana effectus multoties confirmatus. *Pag. 95.* Dysenteria mense Februario. *P. 101.* Febris mesenterica inflammatoria lethalis in virgine, in qua hymenis existentia *p. 103.* confirmata. *P. 104.* Febris polymorpha. *P. 106.* duplex secundina in gemellis duplicis sexus. VStio in pede in grauida graciliori ter in tribus gestationibus successiuis innoxie adhibita. *P. 125.* Grauida Erfordiensis per aliquot menses nihil, vel perpaucum esculentorum et potulentorum assumere valens; similis ab omni alimento humido abstinentis vid. in *Specim. nostr. XXVIII. p. 222. P. 152.* Puluis anthelminticus polychrestus. *P. 158.* Lethargica sexagenarii somnolentia pedum tumore, furunculis, et erysipelate per metastasin soluta. *P. 169.* Intumescentia testiculi scirrhosa e sinistra febris medicatione. *P. 170.* Partus duodecimestris. *P. 182.* Cura sympathetica peculiaris. *P. 256.* calculi in naribus et sub lingua geniti et excreti. *P. 278.* Dysenteria mense Majo. Signum peculiare diagnosticum laesi cranii in vulnere frontis. *P. 293.* Tussis epidemica ferina infantum emeticis et anthelminticis curata. *P. 347.* Cinnabaris natiua insigne expectorans. Efficacia essentiae galegae in tussi conuulsiua, epilepsia, et promouenda excretione purpuracea. *P. 349.* Purgantia post Febr. cessationem noxia. *P. 353.* VStio iuniorum vtilis. *P. 407.* Vermis per herniam intestinalem, pro apostemate habitam, prodiens. *P. 426.* Infusum foliorum vaccinii foliis subrotundis, non crenatis, baccis rubris, in affectibus pectoris perutile. *P. 436.* Calculus vesicae grandior ex vlcere vesicae feliciter autocratice extrusus. *P. 461.* Tabes lethalis e constrictione oesophagi. *P. 467.* Pluuia antecedens ouula erucarum fouens. *P. 522.* Gargarisatio

repe-

repetita cum spiritu frumenti aquoso in principio congestionum et inflammationum anginodearum faucium efficax. *P. 524.* Spasmus maxillaris pusionibus vtplurimum lethalis. *P. 525.* Cura dysenteriae per Spec. diaialap. Rhabarb. et Elect. Diascord. felix. *P. 596.* Cephalalgiae superstitiosa cura. Grauida libram piperis vna vice innoxie deuorans. *P. 614.* singularis quaedam vitrioli species. *P. 699.* Ruptura vteri in parturiente demortua. *P. 700.* Ruptura hepatis lethalis. *P. 701.* Menses superflui et crebriores saepius praecursores impraegnationis. *P. 702.* Nummus aeneus deglutitus, pylorum claudens et exitum ingestis prohibens, mortis causa. *P. 703.* Odontalgia frequentior a globo plumbeo maxillae impacto, hoc post quatuordecim demum annos extracto, cessans. *P. 729.* Surditas in paroxysmis apoplecticis soluta, amissa loquela; haec autem rediens, redeunte surditate. *P. 733.* Pluuia chymica. *P. 739.* Barometra phosphorescentia et fragmentum lucidum tubuli vitrei quomodo fiant? Et denique *P. 742.* rupturae thermometrorum et vasorum destillatoriorum quomodo praecauendae. Sequuntur nunc nomina solertium naturae scrutatorum, qui ad huius anni collectanea materias suppeditarunt. *Altorfii* nempe D. D. et Prof. JOH. HENR. SCHVLZE, Acad. Nat. Cur. et Societ. Reg. Scient. Borusf. Socius. *Berolini* Dn. JOH. MICH. DOBLER opticus Regius. *Bilitii* D. D. KORTVM, Academ. Natur. Curios. *Bremae* D. D. JOH. TIMME. *Budissae* D. D. JOH. FRID. HENNING et D. D. FRID. LIEFMANN. *Caesareopoli* Dom. M. JOH. GEORG. BVCHHOLZ, Pastor et Rector, et D. D. DAN. FISCHER. *Cahlae* D. D. GEOR. GVIL. BEYER. *Coburgi* D. D. JOH. SEBAST. ALBRECHT. A. N. C. *Dresdae* D. D. CHRISTIAN. SIGISM. WOLF. *Eperiis* D. D. JOH. ADAM RAIMANN A. N. C. *Erfordiae* D. D. JOH. HIERON. KNIPHOFF. Dom. M. JOH. GVIL. THEODOR. LEICHNER, Advocatus O. Dicaster. Elect. et Dom. Lic. PAVL. HENR. VOGEL. *Goldingae* D. D. JOH. GEORG. WEYGAND. *Graitzae Variscorum* Dn. M. JOH. GODOFR. BüCHNER, Pastor Seebacensis. *Guelpherbyti* D. D. FRID. ERN. BRüCKMANN, A. N. C. et S. R. B. socius. *Gunzenhusae* olim, nunc *Durlaci*, D. D. JOH. ALBERT. GESNER. *Hamburgi* D. D. JAC. LVDOVICI. *Hartzgerodae* D. D. J. E. MüLLER. *Jauriae* D. D. SEBAST. ALISCHER. *Jenae* Dom. FRID. SIDELIVS, Facult. Phil. Adiunctus. *Isenaci* D. D. JOH. GVIL. ANDR. KELLNER, A. N. C. et D. D. JOH. STORCH, Pelargus etiam dictus. *Lignitii* D. D. BALTH. SIGISM. REIMANN et D. D. JOH. PETR. WAHRENDORF. *Lipsiae* D. D. et Prof. CHRISTIAN. MICH.

MICH. ADOLPHI. *Loebauiae* Dom. CHRISTIAN. TRAVTMANN Praetor vrbis et A. C. N. *Luzini* Dom. M. DAN. SINAPIVS. *Moenchbergae* olim, nunc *Baruthi* D. D. JOH. ERHARD. DONAVER. *Norimbergae* D. D. JOH. CHRISTOPH. GOETZ, A. N. C. et b. D. D. JOH. CAR. ROST, A. N. C. *Neomagi* D. D. JOH. HARTMANN. DEGNER, A. N. C. *Peseneccae* Dm. Licentiat. SEYFFERD. *Ratisbonae* Dom. M. JON. MATTH. BARTH Paſtor, et D. D. JOH. ADAM. GOERITZ A. N. C. *Rigae* D. D. JOH. BERNH. FISCHER. *Rinteliae* D. D. et Prof. JOH. HERM. FüRSTENAV. *Seehuſae* Dom. Lic. JOH. GEORG. SIEGESBECK. *Stolbergae* D. D. LIEBEGOTT MICH. CHALYBAEVS. *Suhlae* Dom. Lic. HENR. CHRIST. WINTER. *Tiguri* D. D. et Pr. JOH. JAC. SCHEVCHZER A. N. C. etc. *Vinariae* D. D. JOH. CASP. MüLLER. *Vlmae* Dom. Prof. DAVID ALGOEWER. *Vratislauiae* b. D. D. JOH. KANOLD. *Waltershuſae* Dom. Licentiat. STORCH. *Weickersheimii* D. D. JOH. CHRISTOPH. BAEVMLEIN; ac tandem *Winzigae* D. D. GODOFR. OBST. Monendum vero adhuc, vt ſupra indigitauimus, reſtat: Verba *Spec. noſtr. LI n. III. p. 403.* qui vero iam nunc praenumerarunt, nundinis paſchalibus florenum vnum Rhenanum transmittant, accepturi totum annum 1729. *ſic intelligenda, vt praeter hunc florenum ſimul etiam 12. groſſi dictis nundinis ſoluendi ſint, de quibus iam in Specim. XLII. n. V. p. 333. dictum fuit; ſicque vniuerſim XXVIII. groſſi tunc expendantur.*

LIBRI NOVI.

I. HENR. BASSII Med. et Chir. D. P. P. in Alma Fridericiana obſeruationes anatomico-chirurgico-medicae in quatuor decades digeſtae, variis obſeruatis rarioribus exornatae et ſolidis medicae ſcientiae principiis ſuperſtructae, cum fig. aen. *Halae Magdeb* 1731. proſtat in officina Rengeriana. 8*uo* alph. 1. Tab. fig. 12.

II. Einiger Engelländer und Frantzosen Anmerckungen über den Steinschnitt nach dem Englischen apparatu etc. i. e. Anglorum atque Gallorum quorundam annotationes in Lithotomiam, ſecundum apparatum anglicum, adiectae ſunt deſcriptiones et delineationes inſtrumentorum chirurgicorum a celeberrimis viris recens inuentorum. Praefatione auxit et edidit JOH. TIMME. *Brem.* 1731. 8*uo* pl. 4. cum fig.

III. Diſſert. inaug. exhibens *vitae animalis conſiderationem theoretico-practicam* Praeſ. FR. HOFFMANNVS, Reſp. BALTH. LVD. TRALLES. *Halae Magd.* Menſ. Apr. 1731. pl. 10.

IV. Diſſ. inaug. *de dolore cephalico.* Praeſ. EODEM, Reſp. MATTHIA BENZIG. *Ibid.* Menſ. Mart. 1731. pl. 3. cum dimid.

V. Diſſert. inaug. *de dolore ex calculo renum,* Praeſ. FRID. HOFFMANNVS, Reſp. JOH. BERNH. DOBLIN. *Ibid.* Menſe Majo 1731. pl. 3. cum dim.

VI. Diſſ. inaugur. *de vera perpetui mobilis in homine viuo idea,* Praeſ. EODEM. Aut. GEOR. WACHTER. *Ibid.* Menſ. Maj. 1731. pl. 3. cum dim.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas septima.

Norimbergae a. d. XIII. FEBRVARII cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Vgduni Batauorum Elementa Chemiae D. D. BOERHAAVII in publicum prodire *Spec. XLIX, p. 385.* iam indicauimus: nunc addimus eadem *Tubingae* quoque impressa prostare. Titulus est: *Elementa Chemiae, quae anniuersario labore docuit, in publicis priuatisque scholis*, HERMANNVS BOERHAAVE. *Tomus primus, qui continet historiam et artis theoriam, cum tabb. aeneis. Cum priuilegiis Caesareo, Polonico et Saxonico. Lugduni Batauorum sumptibus Joh. Rudolphi Imhof. 1732.* 4. alph. 5. pl. 13. tabul. aen. 17. *Tomus secundus, qui continet operationes chemicas, ibid. 1732.* 4. alph. 3. pl. 4. Huius impressionis singulas paginas eadem, quae genuinae Lugdunensis, continere aiunt. Charta, et magnitudine, et albedine non adeo deformis est. Pretium infra tertiam partem constat, 4. scilicet florenis, quum genuinam Lugdunensem pro 9. thaleris, seu 13½ florenis vix comparare ausint nostrae bibliopolae. Ad manus nostras quoque venit schedium, quo certiores redditi sumus *Halberstadii* etiam in bibliopolio Schoppiano idem opus praelum denuo subiturum, atque futuris nundinis autumnalibus absolutum proditurum fore, et quidem praenumerationis adminiculo, vnum thalerum cum 16. grossis Saxonicis seu 2½ florenos Rhenanos postulante, cuius leges in peculiari schedula proxime diuulganda promittuntur. Quae ad opus ipsum pertinent, alio tempore communicabimus.

II. *Stockholmio* nunciatur celeberr. Dom. Prof. CELSIVM indefesso studio adhuc occupatum esse in elaboratione magni operis

ſui botanici, *Flora Vplandica* nuncupati. Ab aliquot iam annis relationem de plantis cuiusdam inſulae minoris, in qua 500. circiter ſpecies, et ex his plus quam 20. hactenus incognitas obſeruauit, prodromi quaſi loco publicauit, atque figuris illuſtrauit, eandemque Sereniſſimae Reginae obtulit, quae clementiſſime eam excipere, atque continuatione dignam declarare, haud dedignata eſt. Celeberr. D. Autor Theologiam quidem profitetur, Botanicam tamen eo vsque excoluit, vt multos in eadem ex inſtituto verſatos ſuperet. Quemadmodum etiam de eruditione ſua haud vulgari magnopere teſtatur officium Secretarii, ab Illuſtriſſima Scientiarum Societate Regia Suecica ipſi concreditum, de quo conferatur *Spec. LII. p. 409.*

III. *Ex Litteris Dom. Lic. J. S. CARLII ad D. D. J. C. GOETZIVM.* Occaſione medicationis in Syncope a VSne *(vid. Spec. XIX. p. 149.)* conſuetudinem illorum adducere licebit, qui regiones vino feraces inhabitant. Hi nempe ante VSnem vinum chirurgo propinant, vt ſibi illique animum addant; cui etiam ſpei effectus reſpondet. Aulici vero, altioris conditionis, et femellae infuſum Cafée prius ſorbillant, quod a ſyncope praeſeruat. Minus tamen et his confiſi lectulo aut grabato inſidentes ſanguinem mittunt, praeſertim in VSnibus pedum deriuatoriis, atque peracta operatione ſtatim recumbunt. Sic ſitus horizontalis praeoccupat turbas reuulſiuas. Non poſſum non adhuc alia quaedam analepſeos cellariae et culinariae experimenta ſubiungere, cum hodienum mixturae analepticae officinales ditioribus et egenis ſordeant. In pauperum nempe gratiam Syruporum Fl. Tunic. Ceraſ. Rubi id. et ſim. ſufficientem quantitatem in domo mea parari curo. Pauperculus igitur aeger aut moribundus mixturam analepticam deſiderans culinam meam pulſat, ex qua vini et aquae partes aequales, cum aliquot cochlearibus eiusmodi ſyruporum, iis mixtae porriguntur, quibus et palato et viribus conſulitur. Sic ſimplicitas artificiis praeponderat. Quin in acutis etiam, verſus criſes et deſpumationes vergentibus, vinum optimum alexipharmacum et cardiacum curatiori obſeruatione deprehenditur. Quantum autem aliquot vini cochlearia pani intrita in declinatione morbi et ſapori et labaſcenti naturae arrideant aegrosque reficiant, vix exprimi poterit. Nuperrimo curioſum mihi obtigit anno experimentum: Agonizauit nimirum omnium ſententia ſenex aliquis e Palatinatu oriundus, diuturno morbo confectus. Miſi illi *Q. E. vini Becherianam*: Et ecce ad ſe rediit & per trimeſtre adhuc vixit, ſtupentibus et ſciſcitantibus omnibus, qualisnam haec tin-

tinctura solaris fuerit. Hactenus eius verba. Circa haec autem monere adhuc visum, de vini in Febb. malignis vsu nos iam *Spec. XIX. p. 149.* citasse *Cl. D. D. ROS. LENTIL. Miscell. Med. Pract. Part. I. p. 150.* addi autem illis non sine fructu posse *Histor. Morb. Vratisl. Ann. MDCXCIX. p. 11.*, vbi inprimis *BARTHOLINI Histor. Anat. Cent. VI. Hist. 7.; et DD. ACOLVTHI Observ. in Ephem. Nat. Cur. Ann. IV. Dec. II. p. 330. et Ann. VI. Obs. XX.* testes et antecessores allegantur. Si quis caeterum, quid Q. E. vini Becheriana sit? scire aueat, adeat ille *b. BECHERI Psychosoph. p. 250.* vbi vires; et *Concord. Chym. Part. II. Sect. IV. Cap. 3 p. m. 287. seqq.* vbi praeparationem eius, reperiet; nec etiam *Vigani Medullam Chym p. 15. 16.* aut *Glauberum concentratum p. 9. et 828.* frustra euoluet; Post Becherum autem instar omnium legatur *Ill. G. E. STAHLII Mens. Octob.* commendans concentrationem siue dephlegmationem vini aliorumque fermentatorum et salinorum liquorum, saluis vniuersis eorum viribus, praesertim autem *Cap. VIII.* Experimenti denique circa *Essentiae vini* confectionem a. b. DD. JOH. CHR. PACHHELBL. de Gehag facti en! sequentem eius ipsius recensionem: Cum anno 1709. saeua illa ac insolita hiems per multos durasset septimanas, aliquot vini mensuras igne Naturae frigido (conglaciatione intellige) concentrabam, vt e decem mensuris tres tandem restarent mensurae quadrantes, adeo autem generosae, vt accendi se etiam paterentur, arderentque. Has infundebam phiolae, quam vitreo tunc occludebam obturaculo, et cum luto ex albumine oui conquassato et farina probe firmabam. Concreditus sic liquor Balneo arenae digerebatur eo vsque, donec sanguineus emergeret color, et multae simul fundum peterent faeces: hoc enim facto refrigeratum filtrabam. Huius tantum, quantum digitalis circiter (Fingerhut) capit, phiolae vitreae minori infundebam, vt sextam tantum huius impleret partem; qua luto superius dicto rursus obturata, denuo in arena lenissime digerebam. Abiit sic post elapsas 4. aut 6. septimanas in sal rubellum pellucidum, nulla amplius residua humiditate; mentiebatur autem lapidis aut salis huius odor ac sapor vinum Hispanicum. Affudi ei denuo digitalem vini nostri concentrati ac digesti rubicundi, et rursus lutatum tractaui, vt supra. Cum autem ignis nimius improuide subministraretur, post quatuordecim iam dies absoluta erat coagulatio, et sal coloris spadicei (allzubraun) odoris vero ac saporis empyreumatici (brünzel-einend) emergebat, vinum Hispanicum tamen adhuc aemulans. Corruptum igitur ac inutile illud reputans phiolam vitreo quidem obturaculo munitam, sed non lutatam,

in frigidiusculo neglexi loco. Sic materia contenta post aliquot septimanas in spissescentem oleaginosam, mellagini concentratiori similem, facessiuit consistentiam, coloris e spadiceo - rubescentis (braunröthlicht) Haec ille, de viribus huius Essentiae in obseruationibus suis *Specim. LI.* promissis vlteriora passim narrans.

D. D. JOH. GEOR. HASENESTII Consiliarii et Archiatri Baruthini Obseruatio, tradens *morbi epidemici praeterita aestate Neostadii ad Ayssum grassati* historiam atque curationem.

Rumor non solum finitima, sed et remotiora, in nupera aestate occupauit loca, Neostadium nostrum morbo pestilentiali tentari: isque tantum hominum animis impressit metum, vt exterorum plurimi eo commeare timuerint. Neque dubito, Vos, Excellentissimos Commercii Litterarii Dominos Collegas, tali fama audita, certum et exploratum aliquid de vera morbi indole comperire, in votis habuisse. Atque lubens Vobiscum communicassem illam notitiam, nisi diuersae multaeque occupationes, aegrotantium cum indigenarum tum exterorum caussa suscipiendae, obicem mihi posuissent. Nunc autem, sepositis parumper negotiis ponderosioribus, fideliter historiam morbi tunc temporis epidemice, more *Febris malignae contagiosae petechizantis*, grassati, trado. Jam sub finem anni MDCCXXX. morbus dictus sporadice, et praecipue sub purpurae, tam rubrae, quam albae, schemate, maturante vere et aestate autem, sub petechiarum forma, hinc inde et mox per hanc illamue integram familiam, epidemice grassari, adstantesque miasmati maligno concipiendo dispositos, inficere coepit. Miratuque dignum fuit, morbum hunc familiam quandam numerosam, ex qua quidem nemo curae meae concreditus erat, adeo persecutum fuisse, vt etiam consanguineis exteris aegrotantes inuisentibus non pepercerit, sed eos domum reduces, nec non filium ante parentum aegritudinem peregre abeuntem, sanum et quatuor milliaribus distantem, inuaserit, omnesque solos (ceteris scilicet incolis a lue intactis manentibus) in lectum prostrauerit, nec non plurimos dictae familiae trucidauerit. Subiecta huius morbi erant cuiuscunque aetatis homines, sexus tamen virilis frequentius inuadebatur quam foemininus. Inprimis cholerici, et illi febris huius malignae incommodis exponebantur, qui inordinata victus et potus ratione,

prae-

praecipue autem in praeterita diu durante hieme curta ſuppellectile vſi, multum frigoris et inediae perpeſſi, viſcerumque labe corrupti fuerunt; nec non qui muſtum ex vuis ad maturitatem in praeterito anno non peruenientibus expreſſum viliſſimoque pretio emendum, ingurgitarunt; vnde multae impuritates et cruditates genitae et retentae, aeri ſuperuenienti cum inconſtanti, tum propius accedente aeſtate calidiore, aeſtuoſiori, ſordes in humoribus collectas in bilioſam acrem qualitatem mutanti, aptam ſuppeditarunt materiam, qua in maſſa ſanguinea eiusmodi tumultus febriles periculoſi, tenore *Aphor. Hipp. ij. Sect. 3.* fuerunt excitati. Grauitas artuum, capitis torpor, languorque virium prodromi erant apud plurimos irruentis hoſtis, qui, aliquot diebus poſt, corpus occupauit cum horrore, et inſequente aeſtu ſummo, cephalalgia, oſſis ſacri dolore, auditus grauitate, labiorum, artuumque tremore, et deliriis, iuncta nonnunquam, praecipue in ſenſibilioris conſtitutionis hominibus, leuiori ſyncope, cardialgia etc. Saeuiebat inſuper apud hos vomitibus, vel ſaltem conatibus vomitoriis ad 8. dies durantibus, torminibus et diarrhoea: apud illos, pectoris oppreſſionibus, doloribus pleuriticis; et denique ſe penitus prodebat ex petechiis efflorescentibus vel ſolis, vel purpura, eaque mox alba, mox rubra, iunctis. Vrina primo ſeptenario ſanae vt plurimum erat ſimillima, pulſu etiam poſt ſuperatum primum aeſtum, apud plures naturali viſo; accedebant haemorrhagiae, praecipue apud pueros: apud ſanguineos et ſpongioſioris habitus ſubiecta autem ſoporoſi affectus: apud cholericos lethales ſaepe tendinum ſubſultus et conuulſiones. Sitis raro intenſa et apud plures in totum moderata. Recenſita ſymptomata autem non omnes vexarunt aegrotantes, ſed deliria, anxietates praecordiales, aeſtus plus minus vrgens, dolores dorſi et oſſis ſacri, virium proſtratio, auditus difficultas, et exanthemata petechialia vel miliaria, communiſſima fuerunt.

Critica ſigna raro reſponderunt accurate diebus criticis; diarrhoea ſcilicet diuerſa morbi tempora occupauit raro lethalis; concoctionis tamen ſigna in vrina vt plurimum decimo octauo morbi die in conſpectum venerunt, hisque praeſentibus fere aeger cum ſanitate priſtina in gratiam redire coepit, excepto vnico, qui criſin talem, ſine euphoria, continuantibus potius internis conuulſiuis motibus, expertus fuit, eamque inſuper inordinato regimine ipſe turbans, vigeſimo primo morbi die morti ſuccubuit.

Sudor plurimos comitatus fuit aegros, qui, poſt ſeptimum diem demum accedens, leuamen reddidit, ſpemque reconualeſcen-

 tiae;

tiae; primis autem morbi diebus, et praecipue circa caput ſolum et pectus, erumpere incipiens, vt plurimum aegrotantem vsque ad mortem comitatus fuit.

Pueri et ſenes tanto, ſub morbo hoc, non expoſiti fuerunt periculo, ac in virili aetate conſtituti. Petechiae et purpura poſt ſeptimum diem in conſpectum venientes, nil periculi aluerunt, citius autem viſui ſe offerentes ſyncopen comitem habuerunt, non tamen, quantum ſub mea cura mihi obtigit, lethalem.

Deliria diu durantia, iuncto tendinum ſubſultu, ſingultu, extremorum frigore, et mictione faecumque exoneratione in lectum inſcia, indubitata erant mortis inſequentis ſigna. Interim ſancte hoc aſſeuerare poſſum, morbum hunc, vehementibus ſtipatum etiam ſymptomatibus, curatu adeo difficilem non fuiſſe, dummodo non aperte phthiſicos inuaſerit, aut (quod ſaepius eheu obtigit) morbi indoles non fuerit purgatione aut venae ſectione incongrua per balneatores vel empiricos corrupta, aut pro deliriis inquietis, vel alui fluxibus, peſſimo licet auſu, ſiſtendis, opiatorum nec non calidorum et volatiliorum alexipharmacorum vſu, inflammationes et anginae productae fuerint; ſiquidem talia nunquam innoxia memini ordinata, omnes potius, pauciſſimis exceptis, ſub exortis anginoſis et inflammatoriis affectibus, auctisque ſub ſopore deliriis, mortis traditi fuere faucibus. Mihi arriſerunt, et, annuente ſummo Numine, feliciſſime ceſſerunt diaphoretica fixiora per integrum morbi curſum, cum aquis diapnoicis, aliquotque guttulis mixturae ſimplicis et ſpiritus nitri dulcis, peculiari enchireſi parati, additis, propinata, et ſic etiam diuina aſſiſtente gratia, deſperate decumbentes fuere reſtituti. Symptomata plurima cordi adeo non habui, ſolum cauſam proximam, ceu miaſma bilioſum acre volatile, attendens, omnia calidiora et vinum prohibui, calorem temperatum obſeruare, aeremque externum omni diligentia vitare ordinaui; ſitim decocto ex C. C. rad. ſcorzon. flau. cort. citri, ſem. faenicul. vt et nonnunquam vſu Julapii acidulati ſedaui, caput ſopore obnubilatum applicatis veſicatoriis in pedibus, ſerenaui; colli ardorem, nec non deglutitionem, ſi cui, (quod autem ſub mea cura vix duobus obtigit) difficilior reddi ea videbatur, per oleum amygdal. d. ſyr. diamor. et aq. fl. acac. mixtum interius, exterius autem per Empl. de meliloto cum oleo bezoard. Wed. illitum, liberaui. Venae ſectionem numquam, niſi in ſumme plethoricis, et hanc in primo tantum principio, imo magis praeſeruationis ergo adminiſtraui, ceu quae ſemper, ſi non funeſta euaſit, curam tamen difficilio-

ciliorem fecit: id quod de mixturae simplicis propinata parum liberaliore dosi in segnioris naturae subiectis, etiam aliis fixioribus diaphoreticis, immixta, obseruare mihi obtigit. Neque hoc reticendum esse reputo, puluere ex antimonii diaphoretici, conch. citrat. ana drach. j. ocul. cancr. praep. Nitri purif. ana dr. dimid. et camph. gr. viii. parato, inque nouem doses diuiso, multos ante nominati morbi nostri prodromis iam vere obsessos, fuisse, DEO benedicente, praeseruatos.

Durauit haec febris petechizans vsque in mensem Augustum, quo ipso mense excipiebatur a dysenteria apud nos etiam epidemica, cuius indolem proxime ero describturus.

Dissertatio medica inauguralis, de *Anodynis quibusdam spiritibus mineralium.* Praesid. D. HERM. FRID. TEICHMEYER, pro Licent. habita ab Auctore, CAROL. DAVID KIECHEL, *Vlmensi.* Jenae Mens. Martio. 1731. in 4to. pl. 3.

In I. §. Dom. Aut. etymologiam vocabuli ἀνωδύνε, eiusque conuenientiam cum *Nepenthe Helenae* apud Homerum, indicat: variasque variorum circa Nepenthes significationem, autorum interpretationes tradit. §. 2. ad generaliorem anodynorum remediorum classem, specialius pertinere ait, *paregorica*, *hypnotica et narcotica:* §. 3. definitionem anodynorum suppeditat, & *talia* esse *remedia* pronunciat, *quae spiritus inquietos ad beatam disponunt tranquillitatem.* §. 4. e triplici naturae regno desumi anodyna monstrat, eorundemque breuem catalogum sistit. §. 5. omnia anodyna esse sulphurea, statuminat, id quod ex eorum notabili et diu durante odore, partim suaue, partim graue olenti, quem spargunt, iuxta et sensibili, quam diffundunt, euaporatione, satis patet: Similiter omne sulphur esse anodynum, stabilit; siue illud sit crassum, siue subtile; siue liberatum, siue aliis adhuc principiis immersum. De sulphuribus deinde mineralibus, natiuis; item de sulphuribus vegetabilium et oleis expressis ac destillatis, singulorumque virtutibus, longum sermonem instituit: quibus thesin suam corroborare studet; quod nempe anodynorum omnium agens primum sit sulphur. §. 6. Dissentientis de sulphuris existentia Beccheri argumenta in medium profert, iisque examinatis, scopum dissertationis suae innuit, quo ostendere vult

mo-

modum elaborandi nonnullos liquores anodynos minerales e vitriolo parabiles: hinc §. 7. in scenam producit *spiritum vitrioli cephalicum*, eiusque praeparationem monstrat, variorumque Auctorum circa vitrioli solutionem opiniones et ratiocinia subnectit. § 8. de *spiritu naphthae* vel *spiritu vitrioli volatili*, eiusque processu et encheiresi loquitur; inque hoc negotio pergit vsque ad §. 11. inclusiue, vbi de virtutibus huius medicamenti mentionem quoque facit. §. 12. meminit alius *spiritus vitrioli volatilis dulcis*, in Act. Med. Berolinens. descripti; et num talis esse possit, qualis laudatur, inquirit. §. 13. superius memoratum spiritum naphthae, non esse remedium, nostris demum temporibus inuentum, sed dudum aliis iam innotuisse, pluribus adductis autoribus commonstrat. Junckerum equidem gloriam hanc illustri Hofmanno Halensi tribuere, sed à multis retro annis ab antiquioribus Chimicis collaudatam fuisse et cognitam remedii huius praestantiam, inprimis antepilepticam. §. 14. alium adhuc spiritum anodynum ex vitriolo parandum describit, qui *Liquor Dianae* D. D. Teichmeyero audit, et passim in scriptis eius citatus est: tandem §. 15. de vsibus horum liquorum memoratorum specialibus differit, eosque bezoardicos, antepilepticos, carminatiuos, anodynos, resoluentes, defensiuos et paregoricos esse praedicat.

LIBRI NOVI.

I. Medicinae compendium in vsum exercitationis domesticae digestum a JOH. de GORTER A. L. M. Med. D. et P. ord. Pars I. *Lugd. Batav.* apud Janssonios van der Aa 1731. 4. alph. 1. pl. 15. tab. aen. 2.

II. Oratio de praxis medicae repurgatae certitudine, publice dicta die 14. Jun. 1729. Auctore EODEM. *Ibid.* 1731. accedit eiusdem Oratio de animi et corporis consensione mirabili tam in secunda quam aduersa valetudine, publice dicta d. 12. Jun. 1730. 4*to* pl. 6.

III. De gezuiverde Heelkonst, ter ondervvyzinge van den Leerende en konst oefenenden Heelmeester. i. e. *Chirurgia repurgata pro instituendo docente, artemque pandente Chirurgo.* Auctore EODEM. *Ibid.* 1731. 8. maior. pagg. 796. cum tab. aen.

IV. Spagyrische Chirurgie oder Wund-Artzney. i. e. *Chirurgia spagyrica, quae omnes morbos cutaneos spagyrice et methodice tractat, simulque citam, tutam et iucundam curam eorum indicat.* *Sneebergae* apud Car. Guil. Fulden 1732. 8*uo* pl. 14.

V. Diss. inaugur. *de cura partus modo enixi et lactentis.* Praes. FR. HOFFMANNO Resp. DAV. SAM. KOVLAS. *Hal. Magd* d. 17. Maj. pl. 3.

VI. Diss. inaug. *de differenti medicamentorum operatione secundum diuersam corporis humani idiosyncrasiam.* Praes. EODEM. Aut. VLR. SIGISM. NIMPTSCH *Ibid.* mens. Jun. 1731. pl. 3. cum dim.

VII. Diss. inaug. *de dolore et spasmo ex calculo felleo.* Praes. EODEM. Resp. ABRAH. NITSCH. *Ibid* mens. Jun. 1731. pl. 4.

COMMERCII LITTERARII
AD
REI MEDICAE ET SCIENTIAE
NATVRALIS INCREMENTVM
INSTITVTI
Hebdomas octaua.

Norimbergae a. d. XX. FEBRVARII cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Vitembergae D. D. CHRISTIANVS VATERVS Pathol. P. P. et Physſ. prouinc. Saxon. nec non Conſil. et Archiater Anhalt. a. d. 19. Nou. anni praeteriti Jubilaeum ſuum doctorale aeque ac gamicum celebrauit octuagenarius. *Ibidem* Filius eius, D. D. ABRAH. VATERVS Anat. et Botan. P. P. ſubſtitutus, Societ. Imp. Nat. Cur. vt et Reg. Londin. et Berolinenſ. Socius, Dominic. II. Aduentus programmate anatomen publicam indixit, in quo ſucceſſum imitationis iniectionum anatomicarum Ruyſchianarum explicat. *Poſt tot*, inquit, *experimenta, ab aliquo tempore haud exiguis ſumtibus facta, detexi tandem viam, non minori cum ſucceſſu vaſa replendi. Teſtimonium ea de re ferre poterunt illi, qui praeparata, ex quibusuis corporis humani et brutorum partibus, propria manu a me confecta, ac inter ea integra cadauera, viderunt, quorum non pauca in Clementiſſimi noſtri Regis Gazophylacio, omnibus naturae et artis miraculis cumulatiſſime ornato, locum obtinuerunt: monſtrare enim in Muſeo meo poſſum, piam matrem, tunicas oculorum, ſeptum narium, labra et palatum, linguamque, cuius vaſa ad extremas vsque ſuperficiei papillas repleta, medullam dentis vitulini &c. omnia coccineo colore tincta. Cutis humana in liquore ſeruata colorem carneum maculasque rubicundas, ac ſi purpura affecta eſſet, monſtrat: exſiccata vero, tomentum refert. Viſcera quaecunque interna, liquori immerſa, cruenta, quaſi e corpore recenter exſecta, apparent: ſiccata tanto rubore infecta, vt eadem e cera formata eſſe iurares, niſi microſcopium contrarium euinceret, per quod reticula, ex myriade vaſorum contexta, exhibent. Sed plura non addo, vt oſtentationis ſuſ-*

ſuspicionem euitem. Cui, quae a me dicta ſunt, credere non placet, huic ego nil aliud dico, quam quod laudatus RVYSCHIVS: veni et vide. *Videbit tunc quaedam ex meis, quae RVYSCHII praeparatis ne tantillum quidem cedunt. Abſit tamen, vt incomparabili huic Viro me propterea aequiparare velim.*

II. *Lucernae* praelo committitur opus, cui titulus: CAROL. NICOL. LANGII Lucernenſ. Heluet. Phil. et Med. Acad. Caeſ. Leopoldino-Carol. Societ. Reg. Pruſſicae et Phyſ. Crit. Senenſ. nec non Reip. Lucern. Senatoris, Meditatiunculae forſitan non prorſus inutiles ac ineptae, circa genuinam animae rationalis ſedem in cerebro humano, eiusque medio, quo iuuante illa I. ſpecies per neruos a ſenſibus externis ad cerebrum delatas immediate in ſe recipit, cognoſcit et rite diſtinguit; II. Actus ſuae voluntatis pariter per neruos partibus ſubiectis in momento communicat, et citius ictu oculi exercet; III. Imaginationem, memoriam, aliasque animae functiones, ad quas hucusque ſpiritus concurrere ſolebant, elicit, proſequitur et peragit Qua occaſione nonnulla proponuntur de paſſionibus animi earumque facili communicatione et coniunctione cum praedictis animae functionibus, quam ob cauſam quandoque tam ſtupenda ac enormia phaenomena et phaſes in noſtro hoc paruulo mundo excitantur et apparent, niſi a quodam prouido animae niſu tempeſtiue et ſedulo inhibeantur: In aliquale ſolamen et lenimentum languidi et aegrotantis corporis menti propoſitae, et ab ea aegre quidem, aut obiter tantum ruminatae ac perpenſae: quibus ſubiungitur deſcriptio cultri lapidei ante-diluuiani a me in altisſimo monte Keyſerſtuol 13. Septemb. 1723. inuenti, inter omnes in toto terrarum orbe manu humana elaboratas antiquitates facile antiquiſſimae et rariſſimae, cum accurata eiusdem cultri ac montis ipſius delineatione et periphraſi. 1732. Sumptibus Authoris, Typis Joſep. Chriſtoph. Rüttimann. Superiorum permiſſu.

III. *Pariſiis* ſcribitur, anatomiam a Dom. WINSLOW praelo commiſſam (*conf. Conſult. vlt. p. XIV.*) atque huc vsque auide expectatam proxime in lucem prodituram eſſe. *Ibidem* Catalogus Bibliothecae b. D. D. DODARTI Archiatri regii primarii (*Conf. Spec. I. p. 2.*) auctionis iure vendendae imprimitur, curante GABRIELE MARTIN.

IV. *Excerptum ex Litteris Medici cuiusdam inclyti in Circulo Suenico ad D. D. J. C. GOETZIVM.* Pachhelblianae obſeruationes poſt-

posthumae, vt cum mantissa de pilulis balsamicis in forma quadripartita, ac idiomate latino edantur, rogauero. Possem, si placeret, alteram iis subiungere partem, sub titulo: *Casuum medico forensium, atque obseruationum practicarum Dodecas vna,* (aut, si permitteret spacium, dodecades duae,) intermixtis epicrisibus et porismatibus: recenset D. GEORG. IRENAEVS CALOANDER. En tibi seriem dodecadis prioris. I. Examen et iudicium medico-forense de grauiditate duarum foeminarum, quae in carcere se concepisse professae sunt, postquam mortis ob patrata delicta furtiua damnatae fuerant. II. Responsum medico-legale in causa stupri violenti. III. Aliud in simili causa. IV. Aliud ad quaestionem a Judice propositam: an liceat decretam inustionem et fustigationem exsequi in subiecto epileptico? V. Memorabilis historia abortus et molarum exclusionis. (*huius summaria Hebd. III. p. 18. seorsim iam exhibuimus.*) VI. Relatio et iudicium de morbo et extispiciis infantis octauo a partu die defuncti, cum consilio praeseruandi infantum conuulsiones. VII. Febris purpurata, quae hoc anno 1731. oppidum Mindelheim infestauit, exposita in epistola ad Ill. Dn. D. ZELLERVM, Consil. et Archiat. Würtemberg. VIII. Effractura cranii cum deperditione substantiae cerebri feliciter sanata, enarrata in litteris ad Excell. Dn. D. MAVCHARTVM, Archiatr. Würtemb. et Pr. P. O. Tubing. datis. IX. Steatomata palpebrarum curata. X. Consilium in phlegmatorrhagia inueterata latum. XI. Phrenitis lethalis diarrhoeae torminosae incongruo adstringentis vsu tractatae superueniens. XII. Ischuria periculosa cum accedente emphysemate praegrandi in puello sexenni breui sublata. Quod si bibliopola quidam sumtus huic libello impendere, ac aequum mihi laboris suique lucri praemium conferre vellet, post noui DEO vol. anni auspicia opusculum praelo committi posset, aut si quis diuendere vellet, non sine suo lucro, egomet sumtus lubens erogarem, atque hic loci imprimi curarem. Ad minimum quindecim, aestimo, adimplebit plagulas.

Hygieine siue Tutrix corporis humani, modum ostendens, quo homines absque medicamentis aetatem suam in statu naturali sano ac vegeto in seram vsque senectutem protrahere valeant. Tam ex veterum ac neotericorum auctoritate, quam ex propria animaduersione desumta a JOH. FRANC.

FRANC. PAVLO GANSER, Phil. et Med. Doct. inclytorum Ducatus Styriae Statuum Physico Radkerspurgensi ordinario. In fauorem et vtilitatem vitae humanae prolongandae, accedente tractatu Animastico. *Lipsiae* 1731. 8*uo* Alph. I. pl. 15. cum pl. I. Tit. Ded. et Praef.

Quem hic producimus librum Cl. eius A. vtriusque Styriae Proceribus dedicauit, atque in tres distinctos tractatus digessit, quorum primus *de vita in communi* inscribitur *p. 1 - 118.* Quum plantae atque animalia duo viuentium genera constituant, ad meliorem subsequentium intelligentiam, nonnulla de *plantis et animalibus* §. 1. tamquam fundamenti loco, substernit, exhibendo ad mentem neotericorum summatim theoriam plantarum, vbi simul obiter indicat, num corallia plantis an lapidibus adscribenda sint. Similiter de animalibus quaedam praefatus, genuinam horum notionem suppeditat, et varias species recenset, quarum praestantissimam, hominem peculiariter contemplatur. Hinc tandem exponit §. 2. *quid sub nomine vitae proprie loquendo dici mereatur*, et §. 3. quaestiones discutit, *an vita possit prolongari, cur eadem nunc breuior sit prioribus temporibus?* physicas aeque ac morales rationes allegans, quae vitam hominis vel producere, vel breuiorem reddere possunt. Quoniam vero ad prolongandam vitam duo haec potissimum faciunt, prolis firmioris generatio, et debitum dein circa res non-naturales dictas regimen: igitur §. 4. 5. et 6. *praecepta* illa adstruit, *quibus custoditis soboles firmior procreatur*, repetendo ex physiologicis, quae ad ortum, conceptum et partum hominis pertinent; qua etiam occasione agitatam illam inter recentissimos physicos quaestionem, de animalculorum spermaticorum existentia, perpendit, eamque propterea negandam esse putat, *quod homo sic bis generari debeat, ex ouo in vermiculum, atque ex vermiculo in hominem;* deinde, *quod ex anatomicis constet, ouum quodcunque in se continere vmbilici funiculum, per quem alimentum foetui suppeditatur, quo non indigeret, si vermiculus, postquam in ouum muliebre se intruserat, totam substantiam oui per os assumeret, et ita excresceret.* Hisce expositis *de infantum in lucem editorum regimine* differit §. 7. in quo describendo satis est prolixus; lactis etiam materni rite constituti praestantiam eloquutus, nutricis insuper, cui aliquando, rationibus aliis id vrgentibus, dandus est infans, requisita enumerat, quamque seruet diaetam, praescribit. De reliqua infantum cura quoad rerum non-naturalium vsum porro dispiciens, regulas vtilissimas,

et

et rationi atque experientiae confentaneas inculcat. Sequitur hinc tractatus II. cuius argumentum eft *recta viuendi norma*, et feptem capitibus abfoluitur, *p. 118.-504.* quorum I. *de aere* docetur, et §. quidem 1.-5. aeris theoria phyfica traditur: inde §. 6. de eiusdem vtilitate, atque anni temporum diuerfitate, difquiritur, recenfitis aeris falubris conditionibus, diuerfisque, eius, pro diuerfa viuentium et ipfius aeris natura, et qualitate, effectibus; ac regulis adiectis, ad quas vnus fibi quisque, pro fua corporis temperie, aerem eligere, eundemque arte atque induftria temperaturae fuae poffit accommodare. Id quod Cl. A. nofter quoad aeris qualitates, locum et diuerfa anni tempora profequitur, quorum pofteriorum fpecialem adhuc confiderationem annectit, quatenus inde corpus humanum afficitur. Capite II. *reliqua requifita ad fanitatem et vitam neceffaria* traditurus, §. 1. de generali ciborum affumtione inftruit. Multus hic eft A. nofter in explicandis emolumentis, quae temperantia fuggerit, cuius rationes plurimas, phyficas et morales, in medium affert. Deinde, quo modo circa cibi et potus affumtionem complexioni, aetati, atque anni temporibus profpici debeat, edocet. Ad confirmandas vero leges hic praefcriptas totum opus digeftionis fuccincte euoluit, variis hinc inde quaeftionibus de ordine, tempore cibum capeffendi, atque aliis his fimilibus, infperfis. Denique modum oftendit, quo alimenta, quoad qualitatem et quantitatem fuam, temperanda fint refpectu diuerfitatis fexus, aetatis, loci etc. Singula figillatim delibando. Hinc ad fpecialia defcendens, §. 2.-12. vfitatiores cibos eaque, quae condimenti loco adhibentur, ordine pertractat, vbique hunc morem feruans, vt primo genuinam rei ideam fiftat, naturam dein et indolem vniuscuiusque feorfim et diftincte explanet, poftea falutares et noxios effectus euincat, et denique, fub quibus circumftantiis conueniat aut noceat, declaret; adiectis fubinde vfibus quoque medicis. Cap. III. *de potu* ipfi fermo eft. Praemiffis, quae de illo in genere tenenda funt, de eiusdem neceffitate, vfu, noxa nimii, quantitate debita, tempore quo bibendum, et potus optimo genere, aqua nimirum, differit; fpeciatim §. 1. de potu aquae et eius qualitatibus agit, inquirens fimul in originem falfedinis maris et fontium falforum, tum et aquarum mineralium etc. §. 2. de lacte, §. 3. de vino eiusque fpiritu feu effentia, §. 4. de cereuifia et §. 5. de potu Thee, Coffe, et Chocolata atque vfu Tabaci; de quibus omnibus, vt modo diximus, exponit. Caput quartum *motum et quietem* fpectat. Ex principiis itidem phyfiologicis, quae tamquam fundamenta fubfternit, deducit, quale

ſeruandum ſit in corporis cum exercitatione, tum quiete, regimen, quae inde reſultent emolumenta; et contra, quae damna, ſi motus aut quietis immoderatus ſit vſus; adiiciendo, vt vbique, ita et hic rationibus phyſicis morales. Cap. quinto *excretorum et retentorum* rationem habet. Nonnulla iterum in genere praemonet de excretis et retentis, nempe comprehendi ſub excretis humores etiam vtiles, h. e. eos, qui naturae aliquam vtilitatem afferunt, et in ſubſtantiam hominis conuerti poſſunt; vtiles humores inutiles reddi poſſe quoad qualitatem et quantitatem; et inutiles per accidens vtiles, quatenus mala ex corpore eliminant. Speciatim vero de excretis et retentis alui et vrinae, §. 1. de excretione et retentione ſudoris et tranſpirationis inſenſibilis, §. 2. de menſtruo fluxu ac virili ſpermate §. 3. diſſerit, et quae de ſingulis notanda veniunt, obſeruat, eodemque modo reliqua etiam ſaliuae, lacrymarum, muci narium et ceruminis aurium excreta et retenta expendit. Cap. ſexto circa *ſomnum et vigiliam* verſatur. Philoſophatus primum de ſomni cauſa et fine, ſomnum moderatum eſſe debere contendit, eiusque ſalutares effectus deſcribit; ratione ſimul inde reddita, cur quaedam animalia per ſatis longum temporis interuallum, ſed ſomno dedita, absque alimentis perſiſtere poſſint. Somni vero iuſto longius protracti noxas §. 2. euincit; enodatis vlterius variis quaeſtionibus circa negotium ſomni occurrentibus, e. g. vtrum ſomnus pomeridianus ſanitati conducat, nec ne? cur quidam homines certa hora, aut etiam quidam citius, alii tardius euigilent? cur iacentes citius obdormiant? num tempore ſomni an vigiliarum melior in ventriculo fiat concoctio? quid ſint inſomnia? etc. De vigilia ſeorſim §. 3. exponit. Tandem Capite ſeptimo *animi pathemata ſeu affectiones in genere* conſiderat, vbi §. 1. naturam paſſionum eruit; §. 2. demonſtrat, animi affectiones ſanitati aut obeſſe aut prodeſſe poſſe; et §. 3. illas ipſas ordine et numero recenſet, indicatis vniuscuiusque effectibus, et quomodo iidem adhibendi, emendandi ac corrigendi ſint. His denique ſuccedit tractatus tertius, isque animaſticus, agens *de ente creato naturali animato. p. 504.-577.* Scrutatus primum animae rationalis eſſentiam, de animae ſeu ſpiritus immaterialis operationibus, §. 1. exponit; inde §phis ſeqq. ad quaeſtiones haſce difficiliores reſpondet, 1) an vnica vel plures animae in vno eodemque homine dentur? 2) an anima rationalis ſit inextenſa, conſequenter indiuiſibilis et immortalis, et numquam annihilanda? 3) quo tempore anima iungatur corpori humano, et an omnes partes corporis ab ea informentur, atque in qua parte corporis humani reſideat? 4) an anima in ſingulas corporis partes agat,

et

et omnes motus ab ea proficiſcantur? et ſ) an corpus humanum viuat ex praeſentia animae, quatenus ea iuncta eſt corpori? et demum moriatur, dum a corpore abſcedit anima.

Quum omnibus fere notum ſit, quantum vtilitatis in rem medicam et phyſicam ex meteorologicis obſeruationibus redundet; nonnulli amicorum monuerunt, vt Norimbergae habitae obſeruationes ſchedis hisce inſerantur. Deſiderio huic eo magis ſatisfacere poſſumus, quia curam earum celeberr. Dom. Prof. DOPPELMAIERVS humaniſſime in ſe ſuſcepit. Singulis itaque menſibus easdem eo modo, quem ſequens tabula indicat, communicabimus. Exhibentur autem in illa altitudines mercurii barometricae circa meridiem per menſuras minutiſſimas pedum vſu maxime receptorum, Pariſienſis, Londinenſis et Rhinlandici (diuiſis lineis et ſcrupulis in pede Londinenſi, more ſolito, in decem, in Pariſienſi et Rhinlandico in duodecim particulas) vt plurimis curioſis labor hic ſit commodo. Thermometrum, quod *Fahrenheitianum maximum* dicitur, gradus a ſtatu aeris temperati, maxime hiemali hoc tempore, differentes, et quidem tanto plures, quo magis frigus ſe exſerit, indicat, iisdem gradibus in quatuor partes diuiſis, quo et ex voto in iis ἀκρίβεια obtineatur. Indicarunt autem praeterea alii, non inconſultum fore, ſi morbi ſingulis menſibus frequentius obſeruati breuibus ſubnecterentur. Vt igitur et his obtemperemus, en breuem eorum, qui nuperrimo Januario obtigerunt, adumbrationem. Occurrebant nempe morbilli confluentes, haemoptyſes, rheumatiſmi, catarrhi (quorum alios graues cephalalgiae, alios anginoſi faucium tumores concomitabantur) et aſthmata, quod obſeruante D. D. WIDMANNO prae aliis femina quaedam, cum vitae ſuae iactura experta fuit. Haec, vtpote gibboſa, et ob debiles pulmones difficulter iam aliquatenus reſpirans, quum d. 24. ſummo mane in publicum prodiiſſet, et per maximam diei partem frigidum aerem inſpiraſſet, tanto circa veſperam correpta fuit aſthmate, vt nonniſi erecto corporis ſitu ſpiritum amplius trahere, neque ſine inſtantis ſuffocationis periculo tuſſire, neque aliquid deglutire potuerit, quin potius, inſecuta altera nocte, ſuffocata fuerit. Vir quidam, libera antea gaudens reſpiratione, poſtquam eodem die aeri illi frigidiſſimo per breue tantum temporis ſpatium ſe expoſuerat, ſequente nocte aſthmatico paroxyſmo, per ſingulas noctes adhuc reuertente, pariter correptus fuit. Variolae, per annum et dimidium continuo ferme apud nos graſſantes, maximam quidem partem inducias nunc fecerunt: paſſim tamen, licet magis benigne, adhuc ſerpentes.

Obſeruationes meteorologicae per menſem JANVARIUM Anni 1732. *Noribergae* habitae a Dom. JOH. GABR. DOPPELMAIERO Math. P. P.

Dies ſtyl. corr.	Barometrum. Ped. Pariſ. dig.	lin.	ſcr.	Ped. Lond. dig.	lin.	ſcr.	Pedis Rhin. dig.	lin.	ſcr.	Thermom. gr.	part.	Ventus.	Tempeſtas.
I.	26.	10.	10.	28.	7.	0.	27.	10.	2.	16.	2.	N. O.	ſerena.
II.	27.	0.	2.		8.	2.		11.	7.	18.	2.	N. O.	nubila ſubnub.
III.		1.	11.		9.	6.	28.	1.	3.	23.	3.	N. W.	nubil. ſubſer.
IV.	26.	11.	2.		7.	3.	27.	10.	6.	25.	0.	N. W.	nub. cum niue.
V.		9.	9.		6.	0.		9.	0.	27.	0.	N.	ſeren. nub.
VI.		8.	6.		5.	0.		7.	10.	29.	1.	N. W.	ſer. ſub. c. niu.
VII.		7.	3.		3.	8.		6.	4.	30.	0.	W.	nubila cum niu.
VIII.		10.	2.		6.	4.		9.	5.	31.	2.	N. W.	ſerena.
IX.	27.	1.	2.		9.	0.	28.	0.	7.	33.	1.	N. W.	ſubſ. nub c. niu.
X.	26.	11.	11.		8.	0.	27.	11.	4.	26.	0.	W.	pluuia perpet.
XI.	27.	2.	0.		9.	7.	28.	1.	4.	20.	1.	N. W.	nub. et pluuioſ
XII.		2.	2.		9.	9.		1.	7	17.	2.	N. O.	ſerena.
XIII.		2.	5.	29.	0.	1.		1.	10.	21.	0.	N.	ſubneb. ſer.
XIV.		2.	3.		0.	0.		1.	9.	22.	0.	O.	ſerena.
XV.		0.	7.	28.	8.	5.	27.	11.	11.	24.	0.	N. O.	ſerena.
XVI.	26.	11.	5.		7.	5.		10.	9.	26.	0.	N.	ſubneb. ſerena.
XVII.		11.	2.		7.	3.		10.	6.	31.	0.	N. O.	ſerena.
XVIII.		8.	6.		5.	0.		7.	10.	33.	0.	N. N. O.	ſeren. ſubſer.
XIX.		6.	8.		3.	3.		5.	9.	30.	0.	N. N. O.	nubil. c. niue.
XX.		7.	10.		4.	3.		6	11.	26.	2.	N. W.	ſerena
XXI.		11.	6.		7.	6.		10.	10.	27.	0.	N.	ſubſer. nubila.
XXII.	27.	1.	9.		9.	5.	28.	1.	2.	27.	2.	N.	nubila ſerena.
XXIII.		0.	7.		8.	5.	27.	11.	11.	31.	2.	N.	ſubneb. ſerena.
XXIV.		0.	7.		8.	5.		11.	11.	34.	0.	N.	ſerena nubil.
XXV.	26.	11.	2.		7.	3.		10.	6.	37.	2.	N.	ſubſer. nubila.
XXVI.		10.	6.		6.	7.		9.	10.	39.	2.	N. O.	ſubneb. ſer.
XXVII.		9.	2.		5.	5.		8.	5.	42.	0.	N. O.	ſerena.
XXVIII.		6.	10.		3.	5.		6.	0.	43.	2.	N. O.	ſubn. nub. c niu.
XXIX.		7.	8.		4.	2.		6.	10.	32.	0.	N. O.	ſer. nub. c. pluu.
XXX.		7.	5.		4.	0.		6.	7.	23.	0.	N. N. O.	pernub. nubila.
XXXI.		7.	5.		4.	0.		6.	7.	19.	0.	N. N. W.	pernubila.

COMMERCII LITTERARII
AD
REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM
INSTITVTI
Hebdomas nona.

Norimbergae a. d. XXVII. FEBRVARII cIɔ Iɔcc XXXII.

I.



Atisbonae hortulanus doctus atque expertus Dom. DEHTLEFF (*THEOPHIL.*) SIMSON, singulari cura ac studio alit plantas peregrinas atque rariores, tum impensis Dom. HIER. LOESCHENKOHLII, mercatoris et rerum naturalium singularis aestumatoris, in ornatissimum hortum suum illatas, tum propriis sumptibus comparatas, et in horto Dom. JOH. LVD. BüRCKELII educatas. Ex hisce anno superiori vergente florida conspiciebatur *Aloe* sic dicta *Americana Juccae foliis.* Quam primum hoc D. D. TREVV annunciatum fuit, sollicitus ille erat, vt surculum floriferum et folia naturalia, nec non habitum totius plantae, viuis coloribus artificiosa manu depictum, vna cum historia plantae specifica impetraret. His acceptis, intellexit, hanc plantam illam ipsam esse, quam Dom. Lic. de SPREKELSEN in horto suo florentem vidit, atque pro *Aloe americana draconis folio serrato Commelini prael. bot. p. 67.* agnoscendam, sed *Yuccam draconis folio serrato reflexo* dicendam esse sustinuit, de quo *Spec. XVIII p. 140.* egimus. Monet autem hac occasione D. D. TREVV 1) quod icon Domini de SPREKELSEN ex omni parte conueniat cum *Aloe americanâ iuccae foliis arborescente Kiggelarii Commel. prael. bot. p. 64.* aeque ac illa Ratisbona accepta. 2) quod *Aloe iuccae foliis Volk. Fl. Nor.* sit *aloe americana tuberosa minor spinosa H. A. P. II. p. 37.* et *Aloe peregrina iuccae foliis variegata ex viridi et albo maior Eiusd.* sit *Aloe Zeylanica pumila foliis variegatis H. A. P. II. p. 41.* eadem *minor Eiusd.* vero, *Aloe Guineensis radice geniculata folio variegato Commel. prael. p. 84.*

H. A. l.c. p. 39. Sub nominibus quippe a ſe indigitatis has plantas accepit Excell. D. D. VOLCKAMERVS, experientiam vero alia illum docuiſſe ipſe nuper affirmauit. 3) quod deſcriptio atque delineatio *Aloes americanae draconis folio ſerrato Commel. prael. bot. p 67.* haud facile inter ſe conciliari poſſint. 4) quod *Aloe americana tuberoſa minor ſpinoſa*, ſupra memorata et in horto Excell. D. D. VOLCKAMERI conſiderata, ſi iunior, cum figura in H. A. *l. c.* exhibita, ſi vero adulta, cum illa *draconis folio ſerrato* maxime conueniat. Haec ſcilicet, vltra decennium iam vegeta, in caudice vnum pedem craſſo, et tres quartas eius partes alto, ſuſtinet folia tres pedes longitudine quandoque ſuperantia, prope caudicem ſesqui pollicem lata, et vnum pollicem craſſa, mox vero paululum anguſtiora, atque deinde ad trium vsque pollicum latitudinem aucta, ſed magis extenuata ex pallido laete virentia (Sittig-grün) atque per totam partem auerſam leuiter exaſperata, inſuper, praeter mucronem extremitatis, in ambitu, cumprimis a caudice ad medium circiter longitudinis vsque, paruis ſed validis aculeis, in aliis frequentius, in aliis rarius, in nonnullis tamen prorſus non munita (*conf. tab. 16. Commel. prael. bot.*), ceterum vero Yuccam, ſeu quod, dempto extremitatis aculeo, idem fetme eſt, Draconem arborem habitu ſuo aemulantia. Cur autem ſaepius laudatus Dom. Lic. de SPREKELSEN plantam ſuam cum Aloe draconis folio ſerrato comparauerit, cauſa forſan eſt, quod ille folia non ſolum per totum ambitum, ſed etiam per coſtae partem externam et ſuperiorem, leuiter ſerrata, vel potius crenata, conſpexerit (ita ſane illius Ratisbonenſis apparent folia, non ſolum quae adulta facta ſunt, ſed etiam quae ex medio ſeu corde nouiter prodierunt, itemque quae ſtolones recens generati protruſerunt; imo nonnulla quoque ipſius figurae Sprekelſenianae) cel. COMMELINVS vero in ſua deſcriptione atque delineatione Aloes iuccae folio addere oblitus fuerit, in illa vero draconis folio et verbis et figuris exprimere ſtuduerit. Accedit quod COMMELINVS huic radicem tuberoſam, craſſam et magnam; illi fibras plurimas intus albicantes, extus rubras, et quarum nonnullae vnciae craſſitiem habent, tribuat; Ratisbonenſis vero, et ſine dubio etiam illa Sprekelſeniana, tubera, illis yuccae vulgaris ſimillima, oſtendat. Nondum autem ſufficientes adſunt rationes, quae nobis perſuadeant *Aloen iuccae foliis Commelini* ſpeciem iterum differentem exiſtere: fibrae quippe, quas tubera ſpargunt, exacte conueniunt cum deſcriptione Commeliniana: ſub cuticula enim fuſca et rugoſa apparent illae purpureae, medullam albam fibroſam ac ferme ligno-

ſam

ſam continentes. Patet inde plantam, de qua ſermo eſt, facie ſua aeque ad folia yuccae vulgaris, quam arboris draconis accedere, rectius tamen, ad euitandam ambiguitatem, hic occurrentem, appellari poſſe *Yuccam americanam foliis crenatis.* An vero *Aloe americana draconis folio ſerrato*, vel *Aloe americana tuberoſa minor ſpinoſa Commelini* vera etiam ſit yuccae ſpecies, flos, a nemine adhuc deſcriptus, aliquando forſan comprobabit. Intercedit autem aliqua etiam differentia inter yuccam Spreckelſenianam et Ratisbonenſem, quam huius hiſtoria ſpecialis, tum ex relatione laudati Dom. SIMSONIS, tum ex autopſia concinnata, cum illa in Specimine citato exhibita collata, clariorem reddet. Ratisbonenſis itaque ex caudice 4. pedes alto circa medium Septembris a. praet. protruſit ſcapum valde ramoſum poſt tres hebdomades 2. pedum longitudinem aequantem (vidit autem quondam Dom. SIMSON eandem ſpeciem faſtigio ſuo ad 20. pedes elatam) et per integrum menſem floridum. Numerus ingens et denſa congeſtio florum obſtabat, quo minus computus accuratus illorum inſtitui potuerit, facile tamen deprehendebatur illos numerum 400. exceſſiſſe. Magnitudo, et longitudine et latitudine laciniarum, paulo minor erat floribus yuccae vulgaris. Color omnium intus candicabat et ſplendebat, extus vero valde diſcrepabat: in aliis quippe tantum etiam candidus, in aliis vero prope petiolum vel apicem maculis et ſtriis purpureis variegatus conſpiciebatur. Alii nondum aperti, toti iam ex carmeſino eleganter rubebant, et aperti ſucceſſu temporis purpuram induebant. Odor animaduertebatur leuis et liliorum aemulus, ſole occiduo vix amplius perceptibilis. Interdiu, cumprimis medias ſole tenente vias, flores expandebantur, ſtellantemque referebant olympum; coelo vero nubilo et veſpere ingruente, cymbala concaua conſpicienda praebebant. An haec ſufficiant pro diuerſae ſpeciei charactere? aliis diiudicandum relinquimus, hoc tamen monemus, nomen ſpecificum eo forſan eſſe extendendum, vt ſpecies haecce commode appellanda ſit *Yucca americana altiſſima foliis crenatis multiflora, floribus minoribus partim candidis partim purpureis.* Ceterum Dom. SIMSON ſuſpicatur hanc yuccae ſpeciem eſſe eandem, quam ABRAHAM. MVNTINGIVS (naauvvkeurige beſchryving der aardgevvassen p. 663.) *Juccam americanam filamentoſam* appellauit, non obſtante, quod addiderit, huius folia, vulgari ſeu glorioſae ſimilia, in vtroque ambitu longis filis, ſetas ex cauda equina mentientibus, eſſe ornata: quum inſolitum ſit folia eiusmodi conſiſtentiae et ſtructurae cernere filamentoſa. Nullam ſaltem ſpeciem vel natura vel pictura

vmquam huic ſimilem illi obtulit. Quemadmodum etiam idem reliquas duas yuccae ſpecies, a MVNTINGIO ibidem expoſitas (quarum vnam *Juccam braſilianam ſtellato mucronato folio;* alteram *Juccam americanam obtuſifoliam* appellat) nunquam, vel depictas vel deſcriptas, multo minus a natura ipſa productas, cernere potuit, niſi quod recordetur ſe easdem olim in itinerario quodam, batava lingua conſcripto, permultis vero fabulis referto, depictas ſed vix deſcriptas offendiſſe, ex quo fortaſſe MVNTINGIVS notitiam earum hauſerit. Hiſce vlteriori indagationi relictis, id vnicum adhuc monemus, flores yuccae nequaquam ſecundum DILLENIVM *app. plant. Giſſenſ.* hexapetalum, ſed, rectius notante BOERHAAVIO *ind. plant. alt.* monopetalum eſſe. Vberiores horti culturae Ratisbonenſis prouentus recenſendi, alii reſeruantur tempori.

II. *Pariſiis.* In congregatione Illuſtrisſimae Academiae Regiae ſcientiarum a. d. 14. Nouembris a. pr. facta, Dom. FONTENELLE perorabat in laudem Illuſtriſſimi Comitis de MARSILLY, vt et celeberrimi Dom. du VERNAY, Anatomices in horto Regio Profeſſoris atque in Collegiis Chirurg. Reg. demonſtratoris. Dom. BOLDVC diſſerebat de diuerſis generibus Salis amari quarundam aquarum mineralium ſobolis. Dom. DV HAMEL de incremento arborum, et alius Academicus de anxietate praecordiorum.

III. *Gedani* ſub praelo iam ſudat, proximis nundinis paſchalibus publicandus, tractatus, cui titulus: JOH. PHIL. BREYNII *Med. Doct. et A. N. C. et Reg. Soc. Lond. Sodalis Diſſertatio phyſica de Conchyliis ſiue Teſtaceis polythalamiis, noua ſcilicet teſtaceorum claſſe. cui quaedam praemittuntur de methodo noua, Teſtacea in claſſes et genera diſtribuendi. Huic adiicientur commentatiuncula de Belemnitis Pruſſicis, tandemque ſchediaſma de Echinis methodice diſponendis. 4to.* Conf. *Spec. LII. pag. 413.*

IV. *Syluae Ducis.* Inaugurationem recens exſtructi auditorii publici Lycei, ibidem conditi, A. 1731. celebratam Domini Profeſſores, quilibet in ſua facultate, oratione ſollemni condecorarunt, et inter hos ad d. 23. Julii Dom. DAN. MOBACHIVS QVAET Med. Doct. et Prof. *de hiſtoria Medicinae a mundo condito in hunc diem,* diſſeruit.

V. *Petropoli* ſcribitur, nouam inibi, a. d. XIII. Decembr. officinam aulicam pharmaceuticam, cuius peculiaris ſedes et domicilium aptiſſimum in platea *Poſtarum* dicta collocatum fuerit, inſtau-

ſtauratam eſſe ; in qua maxime concinno ordine inſtruenda, ſimul ac miro ſplendore exornanda, (nam omnia eius vaſa ex optimo Porcellanae Sinenſis genere elegantiſſimum in modum confecta ſunt;) Archiatrum Imperatricis D. D. de BLVMENTROST tantam curam operamque poſuiſſe, vt omnium illa oculos in ſe conuertat.

D. D. JOH. SEBAST. STEVBE obſeruatio *de exulceratione veſicae vrinariae et vteri.*

Femina huius loci LXIII. annorum, diu fluore albo, poſtea incontinentia vrinae vexata, mox foetidam plane materiam modo ſanguineam, modo carnoſam, mox albicantem non ſine inſigni dolore fudit, et tandem inter cruciatus maximos An. 1726. efflauit animam. In ea deprehendebamus ſceleton naturale, et deinceps aperto cadauere inteſtina maxime inflata, in cordis ventriculo autem dextro ac arteria pulmonali polypos carnoſos, veſicam vero vrinariam plane nullam. Vreteres paulo breuiores in ſe inuicem quaſi digreſſi, et ex illis ſiniſter haud procul a rene ita dilatatus, inſtar ichthyocollae formatus, vt veſicae vrinariae defectum ſupplere videretur, vltimo pars fundi vteri admodum parua ſe nobis offerebat.

Diſſertatio inauguralis medica, *de Matheſeos in medicina ac praeſertim practica vtilitate*, quam in Academia patria Helmſtadienſi, a. d. 20. Sept. 1731. propoſuit JOH. GERARDVS WAGNERVS. 4. pl. 8. *Stanno Buchholtziano.*

Antequam doctiſſimus A. ipſam argumenti ſui tractationem aggreditur, primum in genere nonnulla praemittit a §. 1-6. quae partim dicendorum inſeruiunt illuſtrationi, partim viam pandunt ad ipſam eorundem accuratiorem euolutionem. Nimirum §. 1. rationem inſtituti ſui expoſiturus, refert, antiquiſſimis temporibus omnia eruditionis genera philoſophiae nomine coniuncta fuiſſe, non apud Graecos ſolum, ſed antiquiores etiam eruditos, Aegyptios Indosque, litterarum ſtudia laudabiliter connectentes; atque ex hac veterum moris contemplatione illud deinde conficit, vt et nos

illas artes, quae propiori nexu inter ſe cohaerent, et mutua ſeſe commendant vtilitate, arctiſſime coniunctas eſſe velimus; hancque rationem ſuſcepti in ſe thematis indicat. §. 2. docet, quid vocabulis vtilitatis, medicinae et matheſeos denotet; cuius poſterioris ſenſum §. 3. vlterius explicat, monendo, ſub matheſeos nomine heic medicis non commendari Aſtrologiam, cui ſecta Jatromathematicorum olim ſtuduerit, et de cuius origine paucis diſquirit; praetereaque notando, mathematici atque aſtrologi nomen aliquando fuiſſe permutatum, et ſuperſtitioſum id hominum genus ſuperſtitioſis temporibus, et patrum etiam noſtrorum memoria, noſtraque adhuc aetate, reperiri. Tranſit hinc §. 4. ad conſiderationem vtilitatis matheſeos communis, quam omnes inde in vniuerſum reportant artes atque ſcientiae, culturam nempe intellectus, tanto magis expetendam in medicina, quanto haec ars magis ſalutaris eſt, plusque adeo ad ſalutem communem conducit, vt ad illam exercitandam bene praeparatas animae vires afferamus, olim iam illud perſpiciente HIPPOCRATE. §. 5. oſtendit argumentum praeſentis diſſertationis duplici modo exponi poſſe; ipſum vero eum ordinem elegiſſe, quem diſciplinae medicae ſuppeditant. §. 6. monet, ſe in hac diatriba nullam eſſe curam habiturum definitionum de illis matheſeos ac medicinae quas recenſet partibus. Hisce praemonitis, ad rem ipſam procedit, et §. 7. enumerat matheſeos in *anatomiam* merita, quae praeter mechanica inſtrumenta, quibus adiuuatur, ex hydraulicis nimium quantum creuerit, dum eius beneficio iniectiones peragere didicerit, quam artem mirifice excoluiſſe RVYSCHIVM conſtat. Anatomiae deinde per matheſin ita excultae commoda, in phyſiologiam redundantia, §. 8. refert. Quantum vero adiumento fuerit optice anatomiae, ad paruarum corporis humani partium figuras conſpiciendas, §. 9. oſtendit; quorum inuentorum vſum in praxi chirurgiae, partim generali, partim ſpeciali, §. 10. declarat exemplo amputandi brachii, poſt vulneratam arteriam, cuius rei operatio tantum non penitus hinc ſublata ſit. Idem §. 11. in praxi morborum interna, ab exemplo venae portae deductum, euincit. Et tandem §. 12. ſiphonum meminit, quorum vtilitatem medicina forenſis ſeu conſultatoria et chirurgia iam experta ſit. Ab his ad *phyſiologiam* deſcendit, §. 13. quae, quum omnes C. H. actiones mechanice explicet, non poſſit non vſum mechanices maxime neceſſarium eloqui. Exempli loco adducitur reſpiratio, cuius inſtrumentorum ſtructura manifeſtat, inſpirationem fieri thoracis amplificatione, et quale ſit pulmonum in negotio

re-

respirationis munus. Harum porro thesium vsum in pathologia commonstrat, definiendo prudentissimam medendi methodum in pleuritide spuria duplicis generis; adiectis cautelis practicis circa pinguium vsum externum. Vlterius §. 14. docet, nullam totius doctrinae de musculorum motu cognitionem dari sine mathesi. Quis statices vsus fuerit, ex inuento transpirationis Sanctorianae, et resultante inde methodo compluribus morbis medendi, §. 15. comprobat. Non minorem asserit vtilitatem hydrostatices, in exploratione pulmonum vel aquae innatantium, vel fundum petentium, §. 16. Optices autem in physiologiam merita §. 17-20. enumerat, vtpote cuius adiumentis non solum phaenomena visus, sed et modi, quibus variis imbecillitatibus visus suppetiae feruntur, perspiciantur; annexa eiusmodi myopsin emendandi ratione, quam ipsemet excogitauit, et experientia comprobatam reddidit §. 18. Vnde porro §. 19. non esse dubium concludit, quin et presbyopsis, pari ratione prudenter tractata, corrigi possit, quam coniecturam exemplo quodam corroborat. Seorsim §. 20. declarat, opticis acceptam deberi anatomicarum botanicarumque minutiarum cognitionem, vt et morborum inflammatoriorum in partibus externis naturam, cui prudens curatio superstrui debet; quorum omnium vlterior cura, si medici velint operam adhibere, speranda imo certo promittenda. Similiter de sensu auditus bene meritam esse mathesin §. 21. euincit; et §. 22. in acustices vsum inquirit. Ad *hygieinen* accedens §. 23. et 24. geographiae mathematicae et medicinae staticae vsus, ac emolumenta, quae inde in illam deriuata sunt, expendit. *Pathologiae* quantum luminis accenderint principia mechanica, modo vere mechanica sint illa, nec ex ingenio conficta, §. 25. adstruit, explicataque §. 26. genuina de morbis mechanice philosophandi ratione, seu pathologia mechanica vera, natam inde medendi methodum rationalem §. 27. sistit. *Pharmaciam*, tum numero, pondere et mensura omnia distribuentem, tum in selectu materiae medicae atque eius praeparatione matheseos ope indigentem, §. 28-32. prosequitur; allatis exempli loco BOYLEI conaminibus, qui ad explorationem materiae medicae hydrostaticen feliciter applicuerit, cuius normam in pluribus adhibendam §. 29. inculcat. Gradum illinc ad *Chirurgiam* promouet §. 33-35. Allegatis primum luxationibus ossis humeri et maxillae sine machinis reponendis, ipsa mechanices in chirurgiam commoda enarrat, dum ope instrumentorum et machinarum, quae illa subministrat, morbi tollantur, et variae encheireses in operationibus chirurgicis varia ratione facilitentur

atque

atque expediantur, in cuius rei teſtimonium machinam PETITI pro reponendo capite oſſis humeri adducit, quam Cel. HEISTERVS ex principiis mechanicis emendauerit. Adhaec quantum hydraulica chirurgiam iuuerit ex ampliſſimo ſiphonum vſu, variis in caſibus vſurpandorum, adſtruit. De *Botanica*, quid meruerit optice, §. 36. ſignificat. Tandem §. 37-39. *Therapiae* mentionem facit, fuſius explicando, quantum arithmetica valeat in proportionandis ingredientibus, iisque definiendis pro iuſta doſi, ad aetates hominum diuerſas, robur aegri, morbi magnitudinem, varios medicamenta nunc fortius nunc ſecus parandi modos, et rationem medicamentorum nunc recentium, nunc obſoletorum, attemperanda. Denique §. 40. omnem fere melioris notae *praxin medicam* mechanicam eſſe aſſeuerat. Coronidis loco §. 41. breuem ſubnectit *anacephalaeoſin* diſſertationis, de varia eruditione, ſolidaque Auctoris ſui ſcientia ſatis commendandae.

LIBRI NOVI.

I. CHRIST. GODOFR. STENZELII Torgauienſis, artis ſalutar. et philoſ. Doctoris, Facult. med. Aſſeſſ. et chirurg. in Academia Vitembergenſi Profeſſoris publici Medicina theoretico-practica aphoriſmis in vſum auditorum ſuorum comprehenſa. *Francof. et Lipſiae* impenſ. Gottl. Henr. Schvvarzii 1732. 8*uo* alph. 1. pl. 2.

II. D. Georg Ernst Stahl Königl. Preuß. und Churfürstl. Brandenb. Hofraths und Leib-Medici Materia medica, das ist, Zubereitung, Krafft und Würckung derer sonderlich durch Chymische Kunst erfundenen Artzneyen, ꝛc. i. e. GEOR. ERN. STAHLII Materia medica, ſeu praeparatio, vis et operatio medicamentorum, inprimis chymicorum, qua non ſolum primaria medicamenta ex ſole, luna, marte, venere, ſaturno, ioue atque mercurio confecta recenſentur, ſed etiam alia ex mineralibus producta remedia adducuntur, inſuper optima medicamenta ex vegetabilibus et animalibus deſumta, communicantur. Ob praeſtantiam ſuam ex latina lingua in germanicam conuerſa, publicae vtilitatis gratia altera vice impreſſa, atque appendice ſpecificorum aucta. Pars I. *Dresdae* apud *Joh. Chriſt. Zimmermanni haeredes* et *Joh. Nic. Gerlachum* 1731. 8. Alph. 1. pl. 1. Anderer Theil der Materiae medicae. i. e. Materiae medicae pars altera, qua optima praecipue ſimplicia, vt et in parte I. omiſſa, vel poſtea reperta, ex ſcriptis ipſius ſtudioſe collecta, lingua germanica manifeſtantur. *Ibid.* 1731. 8. pl. 12.

III. Diſſert. inaugur. *de Haemorrhagia viarum vrinariarum.* Praeſ. FR. HOFFMANNO, Reſp. M. GODOFR. HEINSIVS. *Hal. Magd.* menſ. Sept. 1731. pl. 3. cum dimid.

IV. Diſſert. inaug. *de acidulis Veteraquenſibus in Sileſia vulgo* Altwaßer Sauer-brunnen. Praeſ. EODEM. Reſp. SAM. ROHNCKE. *Ibid.* menſ. Sept. 1731. pl. 3.

V. Diſſert. inaug. *de genuina chloroſis indole, origine et curatione.* Praeſ. EODEM. Auct. GODOFR. AVG. EMMRICH. *Ibid.* menſ. Sept. 1731. pl. 4. cum dim.

VI. Diſſert. inaug. *de Metaſtaſi ſiue ſede morborum mutata.* Praeſ. EODEM, Reſp. SAM. SONTAG. *Ibid.* menſ. Sept. 1731. pl. 6.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima.

Norimbergae a. d. V. MARTII clↄ Iↄcc XXXII.

I.



Orimbergae D. D. TREVV ante tres iam annos conari coepit *Anatomen vegetabilium* methodo Ruyſchiana ſuſcipere: quumque id feliciter Ipſi ceſſerit, haud ingratum publico fore exiſtimauit, ſi encheireſes, quibus vtitur, fideliter cum illo communicaret. Hunc igitur in finem ſequentem relationem, ſchediis noſtris inſerendam, ſuppeditauit: Quam primum poſt cineres adhuc venerandus RVYSCHIVS ſpecimina a ſe inuentae anatomes vegetabilium in publicum prodire iuſſit, ad tentamen imitationis inſtituendum me inuitabat, tum amoenitas, tum vtilitas exinde detegendorum. Erant tunc ad manus folia Hederae arboreae. Recordatus, me olim iam prope riuulos quandoque offendiſſe folia arborum delapſa, ab inuolucris ſuis aeque ac parenchymate ſuo denudata, et nexum fibrarum ſuarum maxima ex parte manifeſtantia; cauſam praeterea in aqua macerante atque ſoluente latere, facile ſuſpicatus, folia praedictae hederae in vas terreum conieci, et aquam ſuperfudi. Media id peragebatur aeſtate, ſed plura interueniebant impedimenta, quo minus ſuſcepto operi debita cura inuigilarem, et aliquot decurrebant ſeptimanae, ante quam examen mutationis inſtituere poſſem. Tandem autem illud ſuſcipiens, putredinem iam dudum acceſſiſſe inueniebam, hincque irritum prorſus ſucceſſum metuebam; aquam tamen puram affundebam, et omne, quod putredo conſumſerat, abluebam. Hoc peracto, praeter ſpem complura in conſpectum veniebant retia ſubtiliſſima, ex filis lignoſis

candicantibus, pulcerrime constructa, et totum cuiusuis folii ambitum determinantia, sed a petiolis suis penitus soluta. Haec inter chartas exsiccaui, alia vero recentia folia, eadem quidem, sed curatius instituenda, methodo examinare decreui. Hisce igitur quotidie ferme recentem superfudi aquam, sed obseruaui, folia per aliquot septimanas in eodem statu permanere. Putredinis ergo aliquem, etsi non vltimum gradum accedere et cooperari debere, sic edoctus fui. Aquam itaque non amplius mutaui, frequentem tamen inspectionem haud neglexi. Hac ratione demum vidi cuticulam folii supernam et infernam ab aqua, per poros introgressa, eleuari, et a corpore folii penitus separari, vtramque tamen per totum ambitum sibi inuicem cohaerere, seu potius vnam alteri ibi continuam esse. Interiorem mutationem tunc quoque videre cupiens, folium quoddam exemi, facilique negotio vtramque cuticulam detraxi, simulque aquam totum illud parenchyma, viriditatem constituens, soluisse intellexi, sicque rete supra memoratum non solum integre conseruatum, sed etiam cum petiolo suo adhuc cohaerens, impetraui. Quum autem, hac incedens via, obseruauerim cuticulam folii vtramque integram abscedere, et non nisi in circumferentia cohaerere, tentaui an non fieri possit, vt ambas diuiderem, et vna cum reti conseruarem. Extra aquam id minus succedebat; membranae enim solutae corrugabantur, atque lacerationes ineuitabiles subsequebantur. Aliud ergo folium sinistra manu sub aqua, in vase contenta, detinui: dextra vero, ope cultelli, vulnus prope petiolum in ambitu, dextram respiciente, inflixi, atque vtramque cuticulam in ipso cohaesionis loco, per totam peripheriam, absque vlla laceratione dissecui. Iucundissimum sic visui sistebant spectaculum ambae cuticulae, tenuissima membrana pergamena tenuiores, vna cum reti petiolo adhuc adhaerentes. Parenchyma membranis et reti adhuc inhaerens, digitis facile abstergebatur, et folium ita praeparatum in liquore suspensum conseruare nullam inuoluebat difficultatem; maiorem vero idem exsiccare, quia tenerrimae cuticulae extra aquam statim in rugas et plicas voluebantur inexplicabiles. Vt autem eam quoque superarem, sequentem excogitaui modum. Aqua nimirum repleui vas quoddam amplum et vix vltra duos pollices profundum. In hoc, conieci folium iam praeparatum et probe elotum, cuius plicas in aqua facile rursus explicare potui. Porro adhibui quatuor frusta chartae crassioris, laeuis tamen, magnitudine sua folium paulo superantia. Primum frustum ad fundum vsque vasis adegi, et supra hoc inferio-

rem

rem folii cuticulam explicui, hanc ſiniſtra manu in ſitu plano firmiter detinui, dextra vero alterum chartae fruſtum, inter hanc cuticulam et rete, ad petiolum vsque, immiſi, nec non reti, ſupra haecce expanſo, tertium chartae fruſtum impoſui, tandemque ſuperiorem cuticulam, ſuper hocce pariter explanatam, vltimo fruſto cooperii. Hiſce peractis, imum et ſummum chartae fruſtum vtraque manu comprehendi, et hac ratione omnes folii partes, optime explicatas, extraxi, easque intra haecce chartae fruſta, ope chartae bibulae et accedentis compreſſionis, a maxima humiditatis ſuae parte liberaui. Ne autem, poſt plenariam exſiccationem, ſeparatio folii a charta, vel ob aliquam viſcoſitatem folii propriam reſiduam, vel gluten chartae humectatum, impediretur, humida adhuc chartae fruſta cum ſiccis commutare tentaui, facilique negotio peregi, et poſt compreſſionem repetitam, exſiccationem tandem deſideratam obtinui. Hisce indigitatis, monita quaedam addere, imitatores iuuabit. 1) Periculum faciens eligat folia craſſioris ſtructurae, v. gr. hederae arboreae, quercus, pyri &c. eaque iam adulta. Quamuis enim in tenerioribus res non minus ſuccedat, maiorem tamen difficultatem, exercitio demum ſuperandam, ſubeſſe, experientia comprobabit. 2) Seligenda ſunt folia recentia, nulla cicatrice, haud raro in iis conſpicua, infecta: ad has enim cuticulae cum reti adeo concretae deprehenduntur, vt absque laceratione ſeparatio neutiquam ſuccedat. 3) Folia reſinoſa, pini, abietis, rorismarini, lauri, mali aurantiae etc. diuturnam expoſcunt macerationem, antequam cuticulae eleuentur. Vltra trimeſtre in his requiri experientia docuit. 4) Leui calore accedente, ſeparatio acceleratur. 5) In ſeparatione membranarum cultellus dirigatur inter membranam ſuperiorem et rete, ſeduloque proſpiciatur, ne cuſpide fibrillae retis laedantur. 6) In foliis, quae tempore autumnali a petiolo ſponte ſua abſcedunt, v. g. mali armeniacae, hederae arboreae, ſiliquae ſeu ceratoniae etc. eo in loco, vbi folium cum petiolo cohaeret, omnis praecauenda eſt motitatio vel violentia, quia rete a petiolo facillime ſecedit. Iuuat itaque locum hunc ſiniſtra comprimere, dum dextra membranae et rete eluuntur. 7) Duo fruſta chartae inter cuticulas et rete reponenda, ad illum locum quo petiolum tangunt, hiatum vt habeant, requiritur in illis foliis, vbi margo eorum petioli termino inferior eſt: alias enim integrae ſuperficiei folii reſpondere nequeunt. 8) In exſiccatione foliorum tenerioris compagis, permutatio fruſtorum chartae ſiccae interpoſitorum, plus ſimplici vice vt inſtituatur,

K 2 ex-

experientia commendat. 9) Si folium praeparatum ſpiritui vini vel frumenti rectificato aliquamdiu committitur; idemque loco aquae in explicatione folii exſiccandi adhibetur, exſiccatio celerior et ſecurior obtinetur. Si folii ſtructura interna ex variis fibrarum ſeriebus, vt e. g. in opuntia, conſtat, hincque earum integritas compreſſionem recuſat, absque ſpiritu vini, vel frumenti, rectificatiſſimi adminiculo, exſiccatio optata vix eſt ſperanda. 10) Num folia herbarum, quorum fibrae ſeu vaſa nimis tenera ſunt, pari modo examinari et conſeruari poſſint, ſucceſſu hucusque deſtitutus, affirmare non audeo. De fructibus atque radicibus vero quam plurimis nullum eſt dubium, poſtquam experientia teſtis eſt omni exceptione maior. Obtulit horum complures Illuſtr. RVYSCHIVS *aduerſar. anat. Dec. III. p. 8. Theſ. max.* n. 27. 41. 50. 183. 200. et *p. 31. lit. B. Theſ. anat. poſt curas poſter. nouo* n. 60. 63. 81. 89. 115. 127. 133. 138. Praeparaui et ego horum nonnullos. Notandum autem eſt, horum examen nullum quidem aliud menſtruum, quam aquam, requirere, (vt ſaepius laudatus RVYSCHIVS *aduerſ. l. c.* ipſe reuelauit) encheireſes tamen in diuerſis illorum generibus differre, quae vel aliis, vel alio tempore, recenſendae venient. Nunc autem coronidis loco paucas adhuc ſubnecto obſeruationes, ex foliorum anatome collectas. 1) Aquam poros foliorum facilius ingredi, quam egredi, vel potius pororum fabricam ita conſtitutam eſſe, vt humiditatem facilius admittant, quam emittant; id quod clare docet eleuatio cuticularum in maceratione. Patet inde ratio conſtantis viriditatis, et celeris, poſt pluuiam vel rorem, refectionis. 2) Cuticula folii inferior in quibusdam generibus, v. g. tilia, ceraſo etc. tam tenera eſt, vt eam vix obſeruare, multo minus ſeparare potuerim. 3) Cuticula folii vtraque, cuticulae petiolum veſtienti, continua eſt. 4) Facilis ſolutio illius nexus, qui fibras petioli ac retis in quibusdam foliorum generibus intercedit, demonſtrat nexum hunc fieri per compagem teneriorem. Quum ergo ſub autumno folia iſta de petiolis ſuis ſponte decidant, cauſam in exſiccatione cuticulae atque compagis huius intercedentis, ob defectum nutrientis humiditatis ſubſequente, latere in aprico eſt. Eandem quoque cauſam dirigere ſpontaneam ſolutionem petioli a ramo ſuo, ratio ſuadet. 5) Compoſitionem atque directionem fibrarum petioli et retis, in quouis foliorum genere diuerſam, cauſam eſſe vlterioris praeparationis ſucci cuiuis plantae ſpecifici, indigitat analogia corporum animantium. Quemadmodum enim Cel. D. D. RVYSCHIVS vbique fere in ſuis operibus, atque D. D. NICOLAI in Diſſerta-

tione

tione ſua inaugurali, *de directione vaſorum Argentorati* 1725. ventilata, aliique ſatis ſuperque comprobarunt, diuerſam ſuccorum in corpore animali praeparationem atque ſecretionem, non niſi a diuerſa vaſorum fabrica atque directione dependere; ita eundem mechaniſmum in plantis quoque occurrere, perluſtratio partium, methodo ſupra explicata examinatarum, manifeſtat, ſimulque viam pandit ad potentiſſimi, ſapientiſſimi ac optimi Creatoris veſtigia, in hiſce quoque creatis, maiori illuſtratione intuenda: de quo conferatur JOH. CHR. BOHLIVS *in diſſert. epiſtolica* ad RVYSCHIVM *de vſu nouarum Cauae propaginum etc. p. 4.* et ſemper laudandus RVYSCHIVS locis citatis, et in reſponſione ad BOHLII *Epiſt. p. 4. 6. ſeqq.* Vtinam ergo complures manum admouerent accuratis et veritati innixis obſeruationibus, ac ſymbolum ſuum ad ſyſtematicam cognitionem eruendam conferrent. Vtinam etiam quilibet encheireſes, quas vel fortuna vel ingenium manifeſtat, publico haud inuideret! Vnus enim multa, multi vero plura praeſtare poſſunt; neque maior eſt gloria multa ſcire, quam multa docere. Tabula, quam adiecimus, folia exenterata, vel nondum depicta vel cuticulis ſuis adhuc praedita, continet.

II. *Dublino* a. d. V. Jan. nunciatur, honoratiores ibidem perſonas ſocietatem iniiſſe agriculturam, artes et operas huius regni manufactas excolendi cauſa, cuius praeſidium ipſum Viceregem in ſe ſuſceptum voluiſſe, conſtituto inſuper, qui ipſius vicarius ſit, Primate regni, Epiſcopo Ardimachenſi.

III. *Excerpta medica ex Diario litterario nouo*, Bibliotheque Belgique, *Lugduni Batauorum* apud Joh. Luzac impreſſo. Anni 1731. *Menſ. Julio Artic. 5.* Perilluſtres Vniuerſitatis Lugduno-Batauae Curatores conſtituerunt Dom. HIERON. DAVID. GAVBIVM, qui Chemiam ibi doceret, (*Conf. Spec. XIII. p. 97.*) poſtquam illuſtris BOERHAAVIVS hanc Profeſſionem miſerat, amplioribus quippe honorum acceſſionibus munerumque dignitatibus merito ſuo auctus. Ille delatam ſibi prouinciam publica et inaugurali oratione, *de chemia artibus academicis rite inſerenda*, auſpicatus eſt a. d. 21. Maii. An. praeter. Oratio haec typis impreſſa proſtat apud Bibliopolas. *Menſ. Auguſt. Artic. 2.* Domini Collectores huius Diarii litterarii, *Chirurgiam repurgatam Dom. JOH. van GORTER, Med. Doct. et Prof. Harderuicenſis* (*Conf. Hebd. VII. p. 56.*) ab ſe perluſtratam ſiſtunt,

 eius-

eiusque contentorum exactam recensionem, sparsim adiectis annotationibus, communicant. Reliqua sequentur proxime.

IV. *Excerpta ex Litteris Dom. Lic. J. S. CARLII ad D. D. GOETZIVM.* Obseruatio D. D. STORCHII *Spec. XVIII. n. II. p. 137. de damnis pellentium in partu difficili*, a pluribus aliis Practicis iam suppeditata, a me etiam confirmatur. In plurimis scilicet partibus laboriosis temperantia potius antispasmodica, quam roborantia, adhibenda. Vnde in aulis methodo meae et monitioni assuetis solum puluerem temperantem semel, bis vel ter in molimінibus ad partum exhibent, interpolatis infusis Theae, Cafée, iusculis gallinaceis, quin Limonadae parum, vltimum tandem nisum hepatis anguillae tantillo promouentes. Hae siquidem sanguinem non adeo exaestuant, vt aromata, myrrhata, etc. multum ad lochia nimia, febres puerperarum, purpuram etc. conferentia. Inde etiam in plethoricis, vbi abundantia elaterem infringit, deficientibus ad partum doloribus, vena pedis secatur, quam mox dolores subsequuntur. Consulto itaque mense vltimo haec ventilatio in pedibus plethoricarum administratur etiam ab iis, quibus venae sectio in pede medio gestationis tempore valde suspecta haberi solet.

Ernst Eusebii Richters, Med. D. Fürstl. Schwartzburg. Leib Medici und Land-Physici, Digesta Medica etc. h. e. ERNESTI EVSEBII RICHTERI, Med. Doct. Sereniss. Principis Svvarzburgici Archiatri et Physici Prouincialis *Digesta Medica, seu decisiones Medico-Forenses, siue Edicta et responsa Juridico-medica, de varii generis quaestionibus et casibus, difficilibus, dubiis et raris, quae in praxi subinde occurrerunt, et ad Medicinam atque Chirurgiam pertinent, causamque vulnerationum attingunt, in emolumentum tum publici, tum eorum, qui arti medicae et chirurgicae operam dant, nec non in vsum Jureconsultorum et Practicorum luci exposita; annexa est series casuum propositorum et index accommodus.* Lipsiae et Budissinae, impensis Dauid. Richteri bibliopolae 1731. 4to Alphab. 5. pl. 1.

Dedicationi ad Serenissimum Principem Svvarzburgicum GVNTHERVM directae, Clarisſ. Dom. Autor se subscribit senem vnius

vnius et ſeptuaginta annorum. In praefatione ad lectorem cauſam exponit, ob quam hunc librum typis euulgari curauerit. *Plures equidem*, inquit, *iam abhinc, et nuper elapſis annis, in lucem prodiiſſe autores, qui de vulneribus, tam periculoſis, quam lethalibus, ſcripta publicauerunt, ſimulque depromta ex archiuis Academiarum celebriorum, et in his ordinis praeſertim medici prudentiſſima enunciata atque reſponſa annotarunt; quoniam vero in nullo ex illis obſeruatum hactenus fuit, allegata ſimul fuiſſe reſponſa iuridica, pro et contra exhibita, nihil quoque de iis relatum, quae a cauſae patronis in eiusmodi caſibus defendendi gratia acta fuere, quaeque a Fiſcali contra ea moneri aſſolent: ego autem in praxi mea multos ſubinde, eosque difficiles et inſolitos caſus, ipſemet diiudicaui atque compoſui, reſponſa inſuper, tam a Scabinis quam a Medicis, lata, vna cum annotationibus quibusdam de vulnerum lethalitate collegi atque conſignaui; ſuaſu et rogatu fautorum et amicorum quorundam eo adductus fui, vt illa cum publico communicarem, quod tyrones fortaſſe, vel Iudices vel Aduocati, vel Medici exinde conſilium petere, aut vtilitatem capere poſſint; quibus ego obtemperaturus, aſſiſtente DEO, hunc laborem, hasque Deciſiones Medico Forenſes publicae luci exponere tentaui. Quodſi exſpectationi atque deſideriis, vti ſpero, ſatisfecerim, calcar non tantum id mihi addet pluribus euulgandis; verum etiam, iucundum erit atque acceptum, quod tempus non perdiderim. Sin vero momus exſurgere, mihique obiicere velit, quod genio ipſius labor meus non arrideat, liberum ipſi eſto, dummodo non tantum carpat, verum etiam emendet atque corrigat: Tritum enim conſtat, et in ſecula conſtabit dicterium:* Laudatur ab his, culpatur ab illis, et inuenta noua adduntur antiquis. Praefationem ſequitur ſeries ſingulorum caſuum et deciſionum Medico-forenſium, quos in nouem Decades diſpeſcere placuit Dom. Autori: ex quibus, exempli loco, vnius tantummodo contenta dabimus. In Decade ſtatim prima ſequentes habentur caſus: I. *Contuſio cranii cum fiſſura, per ſe et abſolute lethalis.* II. *Capitis vulnus lapide factum, lethale.* III. *Melancholica pro faſcinata habita.* IV. *Contuſio occipitis cum duplici fiſſura, ſphaerae luſoriae iactu facta, lethalis.* V. *Contuſio cum laceratione muſculi temporalis, eiusque oſſis fractura, lethalis.* VI. *Vulnus capitis ab aſcia molitorum* (Mühl-axt) *inflictum, periculoſum.* VII. Quaeſtio: *an verberatio manibus inflicta, vel calcatio pedum neceſſario mortem cauſari potuerint.* VIII. *An lue venerea laborauerit mortua, de qua quaeſtio mouebatur.* IX. *De vulneribus externis in ſincipite.* X. *De contuſione capitis ſiniſtri lateris periculoſa, iterum ab aſcia facta*, et quae ſunt reliqua. Pollicetur inſuper Cl. Dom. Autor, ſi DEVS vitam viresque concesſerit, cum publico communicare ſequentia ſcripta non

ita

ita frequenter obuia: I. *de partu septimestri.* II. *de submersorum morte sine pota aqua.* III. *de pulmonum infantis in aqua subsidentia.*

LIBRI NOVI.

I. Spiritus animalis merens exul, iustarumque imputationum plenissime conuictus, aduersus Virum clariss. JOH. PHIL. BVRGGRAVIVM, iun. Doctorem Medicum Francofurti ad Moenum, qui eundem pristinis laribus auitisque sedibus, patrocinante sua cura restituere, et ab imputationibus, caeteroquin iustissimis, absoluere denuo, sed frustra conatus est. Sententiae Apollinis damnatoriae iustitiam denuo defendente atque confirmante ANDR. OTTOMARO GOELICKE, Medico, Professore ac Physico prouinciali Regio *Francofurti cis Viadrum* apud *Joh. Godofr. Conradi* 1731. 4. pl. 14. Ansam huic controuersiae dedit D. D. GOELICKE scripto quodam, cui titulus: Spiritus animalis ex foro medico relegatus, siue disquisitionum physiologico-pathologicarum Trias, qua fabulosae medicorum traditiones de spirituum animalium existentia, natura, proprietatibus, effectibus et adfectibus morbosis enarrantur, totum systema vanitatis falsitatisque coarguitur, tandemque in perpetuum exilium illud relegandum esse, concluditur. *Ibid.* 1725. 4. pl. 15. cum dim. Prodiit enim paulo post JOH. PHIL. BVRGGRAVII, iun. D. M. Francof. ad Moenum de existentia spirituum neruosorum eorumque vera origine, indole, motu, effectibus et affectibus in corpore humano, viuo, sano et aegro commentatio medica Viro cl. ANDR. OTTOM. GOELICKE imprimis opposita. *Francof. ad Moen.* apud *Joh. Frid. Fleischer* 1725. 4. pl. 12. cum dim. Huic D. D. GOELICKE opposuit alterum scriptum sub titulo: Spiritus animalis ex foro medico iuste relegatus, siue vindiciae disquisitionum physiologico-pathologicarum, commentationi medicae Viri clar JOH. PHIL. BVRGGRAVII etc. qui eundem spiritum neruosum ab imputato crimine liberare, et in forum medicum reducere frustra conatus est. *Francof. cis Viadr.* 1728. in 4 pl. 6. Sed quum in lucem prodiret: Spiritus neruosus immerens exul, pristinis laribus auitisque sedibus summo iure restitutus ac ab iniquis imputationibus Viri celeb. ANDR. OTTOM. GOELICKII etc. denuo absolutus, patrocinante cura JOH. PHIL. BVRGGRAVII. *Francof. ad M.* apud *Frid. Wilh. Foersterum* 1729. 4. pl. 10. cum dim.; secutum est a. pr. scriptum supra allegatum. Ceterum ad hancce controuersiam quoque pertinet VRSINI Wahrmunds M. D. Versuch patriotischer Gedancken über den von Vorurtheilen krancken Verstand &c. i. e. VRSINI WAHRMVNDI specimen cogitationum sincerarum in intellectum a praeiudiciis aegrotantem, cum primis in therapia medicorum, cum breui consilio ad curationem eius spectante. *Berolini* apud *Christ. Gottl Nicolai* 1727. 8. alph. 1. pl. 7. et Joh. Phil. Burggravs vertheidigter Beweiß von der Würcklichkeit der Nerven-geister &c. i. e. JOH. PHIL. BVRGGRAVII apologetica demonstratio existentiae spirituum animalium, obiectionibus D. D. VRSINI WAHRMVNDI opposita. *Franc. ad Moen* apud *Joh Frid. Fleischer* 1727. 4. pl 3. nec non scriptum, testantibus nouis litterariis Hamburgensibus, a. pr. publicatum D. D. GOHLII (qui idem est ille Vrsinus Wahrmund) de insufficientia cerebri ad sensum et motum animalem.

II. Dissert. inaug. *de vulnerum renunciatione.* Praes. PETR. GERIKE. Resp. DETLEV. GEOR. HVMM. *Helmstad* 1731. mens. Jun. pl. 4. cum dim.

III. Dissert. inaugur. *de vomitu et mictu cruento.* Praes. D. D. JAC. SMITH. Resp. JOH. BENED. KOPETZKY, Bohem-Bidzov. *Pragae* 1731. mens. Aug. 4. pl. 19.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas vndecima.

Norimbergae a. d. XII. MARTII cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Rancofurto ad Moenum typis impressum accepimus operis amplissimi, *Lexici medici vniuersalis*, specimen, vnde quae vnusquisque, tum et omnis res publica medica, de praeclarissimo hoc molimine sibi polliceri possit, satis superque licet intelligere. Titulus operis hic est: JOH. PHIL. BVRGGRAVII, Jun. Doct. Med. Francofurti ad Moenum, *Lexicon medicum vniuersale, omnium verborum, praecipue vero rerum, ad medicinam et disciplinas illi famulantes spectantium, explicationem systematicam exhibens. Ita vt tam terminorum technicorum, quam inprimis ipsarum rerum in physica, anatomia, botanica, chemia, medicina, physiologia, pathologia et semiotica, cum generali, tum speciali, cum perfectissimis, quantum prostant, morborum historiis, diaetetica sanorum et aegrorum, methodo medendi generali, viribus medicamentorum, horumque officinalium inprimis tam enumeratione, seu materie medica, quam praeparationibus medico-pharmaceuticis, praxi medica, chirurgica, forensi, speciali: cum cautelis et obseruationibus selectissimis occurrentium potissima momenta, ordine alphabetico, exhibeantur, explicentur, illustrentur, vt vno obtutu, quicquid in vno quouis lemmate, ex omnibus medicinae partibus et disciplinis subsidiariis notari mereatur, systematice perlustrari possit: nec non primaria capita historiae medicinae, tam dogmatum nempe, quam ipsorum medicorum annotentur: ex veterum, recentiorum et recentissimorum probatissimorum Auctorum monumentis vbique fidelissime allegatis, tum propria indagatione, meditatione, experientia, cunctis ad rectae rationis trutinam sedulo pensitatis concinnatum. Qua ratione bibliothecae medicae realis instar commode inserui-*

re *poterit. Figuris aeneis et indice locupletiſſimo inſtructum.* Francofurti ad Moenum, ſumptibus Friderici Dan. Knochii. Quum ipſa haec libri inſcriptio abunde declaret, quid, et quomodo id peragendum ſuſtineat cel. eius Auctor, ex adiecto huic ſpecimini programmate illa tantum excerpta dabimus, quae ad pleniorem libri notitiam, eiusque comparandi modum ſcitu neceſſaria videbuntur. Significatur autem in illo, totum opus ſex abſolutum iri voluminibus in folio, ſed valde mediocribus, ita, vt ſingula numerum 160. plagularum non excedant; quorum vltimo continebitur index inſtructiſſimus, ipſum librum vſibus quam plurimis, ſaepius forſan inexſpectatis, aptiorem redditurus. Externae praeterea operis pulchritudini, ſiue chartae nitorem, ſiue litterarum elegantiam ſpectaueris, ita ſollicite conſulturum eſſe bibliopolam, vt ne quid facile amplius circa eandem iure deſiderari poſſit. Initium autem edendorum horum voluminum ipſis nundinis Paſchalibus A. 1733. factum, atque ita per quinque ſubſequentes annos continuatum iri, vt nundinis iterum cuiusuis anni Paſchalibus vnum prodeat. Quod ad ſumtus attinet, pro quouis volumine redimendo, illos eſſe duorum florenorum, aut ſemiducatus, ſi cui praenumerare placuerit, hac quidem lege, vt conſtituto praenumerationis termino, qui a die ſubſcripta vsque ad primam menſis Septembris A. 1732. definitus eſt, pro primo tantum, pro ſecundo tantundem, et ſic porro, erogent. Qui vero praenumerationis commodo frui noluerint, illos pro ſingulis voluminibus duos imperiales olim ſoluere teneri. His tandem ſubnectitur Catalogus fautorum, in nulla non celebrioris nominis vrbe, per omnem fere cultiorem terrarum plagam, reperiundorum, qui pecuniam praenumerandam colligere, inque eius fidem, vsque dum ipſum librum tradiderint, apocham reddere in ſe ſuſceperunt. Quumque vnum horum quodque voluminum non vltra quinque libras ponderaturum ſit, facile quoque erit de modico, quod ratione portorii ſoluendum veniet, pretio cum iisdem conuenire.

II. Ex Litteris *D. D. JOH. FRID. GLASERI ad D, D. GOETZIVM* Vienna a. d. 13. Febr. *Perſcripſit mihi filius meus, Phyſicus Imperialis Barachini in Seruia, quod in confiniis Turcicis ſitum a Belgrado 27 milliaribus diſtat, a. d. 18. Jan. ea in regione, praeſertim autem pago Maduega, non procul a Barachino,* magicam aliquam ab aliquo tempore graſſari luem *Mortui nimirum humati illaeſis ſurgentes ſepulcris viuos enecant, hique necati et ſepulti ſimiliter ſurgentes alios interficiunt; quod ſequenti con-*

tingit modo: Mortui nempe dormientes noctu adoriuntur, sanguinemque ex illis exsugunt, vt cuncti tertio exspirent die. Huic autem malo hucusque nulla medela inuenta est. Plurimis itaque breui tempore sic demortuis, iussum ab iis, penes quos summa illinc locorum potestas, vt accuratius hanc in rem inquireretur. Aliis propterea deputatis filius quoque meus, vt Medicus et Physicus, adiunctus est. Hi conuocatos iudices (praetores) et iuratos examinabant, variis, vere rem sic se habere, probantes argumentis, modum autem se nescire confitentes, nisi quod animaduerterent, homines perpauidos, temulentos, meticulosos et anxios e somno erumpere et quiritare, etc. Decreta hinc coemeterii visitatione, singuli atque omnes delegati, sepulcra vt aperirentur iubebant, sicque decem personas in sarcophagis suis, viuorum instar, penitus incorruptas, sandapilas vero, vestimenta et lintea sanguine florido madida, huncque e naribus, ore, oculis et pudendis profluentem, ac denique pristinos manuum et pedum vngues cum recentibus commutatos, reperiebant. Omnibus igitur his Vampyris *(sic scilicet in iis oris vocantur) caput amputatum, cadauera postea igne concremata, eorumque cinis fluuio Morauae inspersus fuit. Secuit autem ea antea filius meus, ac cuncta viscera sana et illaesa, ventriculum vero et diaphragma sanguine plena, deprehendit. His festinanter ad me perscriptis, promisit vlteriora imposterum addere, prolixiore relatione ad Regimen nostrum et Collegium sanitatis transmissa.* Nouam hanc antiquae in Hungaria et Polonia crebrius iam actae fabulae esse scenam, illi, qui in historia naturali non penitus hospites sunt, cognoscent. Annon autem hic morbus aliquis epidemicus orgasticus, imaginatio, meticulositas, superstitio, et sim. fermentatio etiam sanguinis in eiusmodi cadaueribus incipiens putredinosa plurimas sibi potissimasque vendicet partes, penitior edocere poterit singularum circumstantiarum peruestigatio. Dicuntur alias eiusmodi mortui feriales crediti Vampyri, vt et Vpertz; et plerumque tum masticatio linteorum (das Schmatzen) tum pulsatio sandapilarum et sepulcrorum coniungitur. Fusius vero de iisdem videri poterunt, praeter D. D. GARMANNVM *de miraculis mortuorum*, Dom. M. PHIL. ROHR. dissert. Histor. Philosoph. *de masticatione mortuorum* Lips. d. 16. Aug. 1679. ventilata, et Dom. M. MICH. RANFFT diss. *de masticatione mortuorum in tumulis* Lips. mens. Sept. 1715. habita, ac dein An. 1728. ibid. sub forma tractatus in 8. edita. *Collect. Histor. Phys. et Med. Vratislau. Tent. XVII. p. 593. XIX. p. 82. XXXI. p. 221. XXXVII. p 572 et D. D. A. E. BüCHNERI Miscellan. Phys. Med. Math. Semestr. III. p. 488.* Meminisse hac occasione adhuc licebit pulsationis sepulcrorum Heilbrunnae Sueuorum decenniis septimo et octauo praeteriti Seculi crebrius obseruatae, de qua singularia

 mul-

multa legimus *in epistolis* b. D. D. JOH. MATTH. FABRI, Physici tunc eiusdem loci, ad b. D. D. SEPT. ANDR. FABRICIVM, Collegii olim nostri medici ornamentum, *datis*, quae etiam ansam ei suppeditauit conscribendi tractatum sub titulo sequente: JOH. MATTH. FABRI Ενταφινρυςικῶν Μνήματα, *s. de pulsatione sepultorum subterranea, eorumque refossione diascepsis, historica fide exarata, rationis et experientiae Medicae lumine illustrata, Juris tam diuini quam humani canone confirmata, adeoque concurrenter materiae de sepultura superpondio polyhistorico augmentata.* Huius editorem expectantis et tria expleturi alphabeta autographam autoris possidemus sciagraphiam; ipsum autem manuscriptum in scriniis nuperrime defuncti D. D. JOH. HVLD. WALDSCHMIDII latitasse, antehac nobis asseruit vir quidam pergrauis ac clarissimus.

III. *Ex Litteris D. D. GOTTLIEB. HENR. SARWEY ad D. D. GOETZIVM Freudenstadt. a. d. 19. Nouemb. 1731.* Nascebatur Praefecto cuidam Würtembergensi, cuius familiae curam gero, anno 1730. d. 29. Septembr. prima lunae quadra, in signo sagittae □ ♄ et △ ♃ venusta puella, matris suae vndecima proles. Haec sexto post natiuitatem suam die largos profundebat quasi menses, sanguine nempe genuino per pudenda eius effluente, labiis simul tumescentibus. Anxiis inde, me absente, parentibus obstetrix pauxillum cuiusdam puluilli exhibuit puellae, quo alias ad haemorhagias arteriosas vtebatur; labiis autem tumidis nescio quid inunxit, quibus rursus cessauit fluxus. Vltra annum iam agit aetatem, elegans et bene valens filiola. Non equidem ignoro, reperiri eiusmodi casus passim in Autoribus, praesertim autem Ephemeridibus Naturae Curiosorum; rariores tamen cum sint, et hunc recensere non abs re esse putaui.

D. D. BIENERI Obseruationes binae *de podagra curata*, sententiae Stahlianae correspondentes, causam nempe podagrae materialem plethoram et spissitudinem humorum esse.

Cum fuissem Saganae in Silesia cum Serenissimo Duce Saganensi Principe de LOBKOWITZ, retulit Perillustris Dom. de ARNOLD in praesentia Sereniss. Ducis, et Excellentiss. Domini Comitis ab ALTHAN Commendantis Brigensis in Silesia, Genitorem proprium à dira

dira podagra liberatum eſſe ieiunio centum horarum, intra memoratum tempus nil edendo nec bibendo exceptis poculis aliquot Theé orientalis, quam curam ſemper reaſſumebat, quoties ſigna ſibi iminentis podagrae ſentiebat, iamque immunem ſedecim et ſi adhuc vivit modo octodecim annis ab hoc ingrato hoſpite eſſe publice teſtabatur. Pari modo plethora imminuta fuit licet non per ieiunium centum horarum, ſtricta tamen diaeta, et podagra curata in certo mercatore, qui annue bis ſolenniter ea laborabat, dum ſiniſtra fortuna eum creditoribus ſuis incarcerandum tradidiſſet, multisque annis in curia Litomericena in magna egeſtate detentus, ſtatim primo anno à podagra liberatus fuit, neque recidivam perpeſſus, qua propter gratus curiae Litomericenae, eam omnibus podagricis inter jocandum commendauit, beneficii obtenti haud immemor.

Diſſertatio *de materia ceracea, ejusque injectione anatomica*, germ. von der Anatomiſchen Außſprützung mit Wachs, Præſide GODOFREDO THIESEN, Med Doct. & Prof. publ. extraord. Reſpondente DANIEL LEOPOLD, *Stega-Boruſſ.* d. XI. Januarii anni 1731. Regiomonti typis Reusnerianis. 4. pl. 3.

In Praefatione differit Dom. A. de cultura artium atque ſcientiarum, noſtris temporibus feliciſſima, in genere. *§. 1.* notat ſummo extollendum eſſe praeconio eorum conatum, quo ſapienter omnino & ſtudia ſua et artificia recens comperta, non tantum in ſui ipſorum, quam ſimul alterius, proximi ſcilicet, vſus erogare, annituntur, ſperatque ex hac cauſa neminem fore, qui ſuum laborem improbaturus ſit, quocum ſingularem illum C. H. vaſa materia ceracea implendi pariter ac parandi modum, a plurimis maxima inter ſecreta hactenus celatum, in ſtudioſae iuuentutis, arti ſalutari deditae, commodum reuelare et publici iuris facere, nullus dubitauit, & poſtea addit, quid per hanc iniectionem anatomicam intelligat. *§. 2.* primam inuentionis laudem tribuit D. REGNERO de GRAAF, medico Delphenſi, qui circa annum 1668. ſiphonem conficiendum curauit, quo ſpiritum vini, vel et alium quendam liquorem variegatum, iniicere calluit, quem, eodem tamen tempore, ſecutus eſt D. JOH. SWAMMERDAM, ſed liquoris loco, ceram puram liquefactam, meliori cum

ſucceſſu, in vſum vocans, et in libro ſuo *de vteri muliebris fabrica* cap. II. totum ſuum artificium propalans. *§. 3.* indigitat ad quantum perfectionis gradum hanc artem perduxerit nomine immortalis FRID. RVYSCHIVS. Sed quum ille nullo ſcripto, in haec vsque tempora, ſuam reuelauerit methodum, de occultis et incertis iudicare ſuperſedet A. *§. 4.* explicatis incommodis, quae ceram puram, ſecundum SWAMMERDAMVM adhibitam, ſequuntur, commendat Dom. A. compoſitionem materiae iniiciendae, multis experimentis comprobatam, a nemine, quantum ſcit, typis publicis exſcriptam, et ſequenti modo parandam. ℞. *Cerae citrinae, therebinth. à* vnc. ij. *axungiae porcinae* vnc. iv. *mixtis et liquefactis*, *pro arteriis dilatandis, adde cinnabaris factitiae praeparatae, minii à* vnc. j. *pro venis autem implendis, cinnabaris et minii loco, admiſce viridis aeris praeparati* vn. j. *applica ad vſum. §. 5.* mentionem facit methodi, qua aliqui *ſtannum liquefactum*, vel *mercurium viuum* adhibere ſolent, huiusque notitiae cupidum ad MICH. BERNH. VALENTINI *append. Amphitheatri zootom. ſupplem. II. p. 27. 28.* ablegat. *§. 6.* deſcribit ſyringam, ac tubulos, et pro vberiori formando conceptu D. CASP. BARTHOLINVM *in adminiſtr. anatom. ſpecim. Sect. III.* conſulendum commendat. *§. 7.* agit de partibus, quae hanc praeparationem non inconuenienter incurrunt, quas pene omnes eſſe explicat. *§. 8.* Ipſam iniectionem perficiendam inculcat, huncque in finem arteriam aliquam magnam eſſe aperiendam et probe eluendam, deinde vero eius aperturae tubulum alligandum, et denique materiam ceraceam calidam, ope ſyringae, tubulo in vaſe haerenti iunctae, non vna quidem vice, ſed paulatim, leniter et circumſpecta manu imprimendam eſſe docet. Simul autem monet hanc iniiciendi methodum, non ad omnes facere arterias, ſed tantum ad maiores, minores enim et minimas vix ac ne vix quidem eam tangere, vtpote in quem finem ſpecialior artificii huius anatomici inſtituendi modus requiratur, cui in ſequenti perſpicue tradendo operam ſuam impendit Dom. A. quemque nos iisdem verbis exhibemus. *Specialiorem anatomice vaſa implendi modum, vt et ipſas encheireſes tradere occupati monemus, vt arteriae vel venae ab omni cruore purgentur. Purgari vero poſſunt, ſi C. H. partes, praeparationi huic ſubiectae, per aliquod temporis ſpatium, aquae tepidae immerguntur, donec omnis elutrietur ſanguis. Si vero ex paruulis etiam vaſorum ramificationibus illum extrahere ſtudemus, haec ſiphone itidem aquam tepefactam intrare, quamque, illo remoto, iterum effluere ſinamus. Repetatur aliquoties haec actio, quousque vaſa dicta omni ſuo humore exonerata, ab aqua inſuper, ne gutta ſuperſit, per expreſſionem liberata, et ſic ad ceram capiendam, apta viſa fuerint. Quo facto*

par-

parenchyma, vel et alia C. H. pars, denuo tepescenti committitur aquae, feruida vero sensim affunditur, quo, vt par est, calescat. Requiritur vero non sine ratione calefactum viscus, ne scilicet materia ceracea liquida, repente concrescat, adque extremitates vasculorum pervenire impediatur, hinc tam diu in aqua calente vlterius seruandum est, quamdiu tota absoluta fuerit nominatae materiae iniectio. Et haec est illa, a nobis tradita methodus, qua, vti dictum, sanguifera reliquaque in C. H. reperiunda vasa, quamuis sint minima, coronaria et capillaria nominata, materia ceracea luculenter impleri possunt, vt quodque illorum sui conspectum sponte prodat, imo exhibeat. His indigitatis, §. 10. opportunum judicat D. A. assertum suum per exempla illustrare, sed quum celeberr. RVYSCHIVS hoc jam praestiterit, provocat non solum ad opera ejus, et aliorum artis huius Antistitum gazophylacia, verum etiam ad D. BORETII, summo cum applausu in Regia Regiomontana anatomen docentis industriam. §. 11. docet Dom. A. quomodo praeparata a putredine ac corruptione liberari inque statu quasi naturali conseruari possint; idque humida altera, altera sicca methodo. Illa conficitur, dum C. H. partes, vel vini vel frumenti spiritui (*Conf. Commerc. nostr. spec. IX. p. 68.*) parum camphorato, committuntur; haec vero absoluitur, quum parenchymata praeparata ac exsiccata, balsamo quodam appropriato obducuntur, quem in finem commendat *vernicis* compositionem a MICH. BERNH. VALENTINI *l. c. p. 28.* hoc modo communicatam: ℞ *Ol. spicae ver.* ℔j. *camphorae vnc.* j. *Spir. salis ammon. vnc.* ß. *M. calefiant, et calefactis incrustentur corpora, eadem semper facie externa spectanda.* §. 12. Obiectionibus respondetur illorum, qui haec praeparata curiosa quidem, nullius autem vtilitatis esse dicunt, et sequenti paragrapho epilogus finem facit.

Morbi Mense FEBRVARIO Norimbergae frequentius obseruati.

Catarrhi, rheumatismi atque morbilli mense Januario oborti, adhuc continuant. Accessere tusses, febres catarrhales benignae, icteri, arthritides vagae, podagrae, nephritides, colicae, haemorrhagiae vterinae cum molis erumpentes, et, primae hebdomadis spatio, apoplexiae.

Obser-

Obſeruationes meteorologicae per menſem FEBRVARIVM Anni 1732. *Noribergae* habitae a Dom. JOH. GABR. DOPPELMAIERO Math. P. P.

Dies ſtyl. corr.	Barometrum. Ped. Pariſ.			Ped. Lond.			Pedis Rhin.			Thermom.	Ventus.	Tempeſtas.
	dig.	lin.	ſcr.	dig.	lin.	ſcr.	dig.	lin.	ſcr.	gr. part.		
I.	26.	10.	1.	28.	6.	3.	27.	9.	4.	22. 0.	N.	nub. c. niu. ſer.
II.		11.	9.		7.	8.		11.	1.	23. 0.	N.	nubila ſerena.
III.	27.	0.	4.		8.	3.		11.	8.	28. 0.	N.	ſubſ. nub. c. niu.
IV.	26.	11.	9.		7.	8.		10.	1.	26. 0.	NO.	nubila.
V.	27.	2.	0.		9.	7.	28.	1.	4.	26. 1.	NNW.	neb. ſubſer. ſer.
VI.	26.	11.	5.		7.	5.	27.	10.	9.	31. 0.	NW.	ſubnub. ſubſ. ſer.
VII.		9.	0.		5.	3.		8.	3.	35. 2.	N.	nubila ſubnub.
VIII.		7.	10.		4.	3.		6.	11.	34. 2.	NNO.	ſerena.
IX.		8.	10.		5.	2.		8.	1.	27. 2.	NO.	nubila, ſerena.
X.		7.	3.		3.	8.		6.	4.	26. 0.	NNO.	nub. ſubſ. ſubpl.
XI.	27.	0.	5.		8.	4.		11.	9.	23. 2.	N.	pernubila.
XII.		2.	7.	29.	0.	3.	28.	2.	1.	16. 0.	NO.	ſubnub. ſerena.
XIII.		2.	10.		0.	5.		2.	4.	13. 0.	NNO.	ſerena.
XIV.		2.	10.		0.	5.		2.	4.	12. 2.	NNW.	ſeren. ſubſer.
XV.		2.	3.		0.	0.		1.	9.	12. 0.	N.	ſubnub. ſerena.
XVI.	26.	10.	3.	28.	6.	5.	27.	9.	7.	11. 0.	W.	pernub. et plu.
XVII.		11.	5.		7.	5.		10.	9.	8. 2.	W.	nub. c. plu. ſubſ.
XVIII.		7.	10.		4.	3.		6	11.	7. 0.	WSW.	pernub. pl. nub.
XIX.		6.	9.		3.	4.		5.	10.	6. 0.	N.	nubila ſubnub.
XX.		11.	1.		7.	2.		10.	4.	5. 3.	W.	pernub. nub.
XXI.	27.	2.	0.		9.	7.	28.	1.	4.	8. 0.	N.	ſubſ. nub. pernu.
XXII.		1.	9.		9.	5.		1.	2	6. 0.	W.	pernub. ſubſer.
XXIII.	26.	11.	11.		8.	0.	27.	11.	4.	1. 0.	W.	pernub. c. pluu.
XXIV.	27.	1.	9.		9.	5.	28.	1.	2.	1. 0.	NW.	nub. ſubſer. pl.
XXV.		4.	5.	29.	2.	0.		3.	11.	3. 0.	NNO.	ſerena.
XXVI.		3.	0.		0.	7.		2.	6.	6. 0.	N.	ſerena.
XXVII.		1.	6.	28.	9.	3.		0.	10.	5. 2.	N.	ſer. ſubſ. c. neb.
XXVIII.		0.	7.		8.	5.	27.	11.	11.	8. 0.	NW.	neb. pernu. c. p.
XXIX		2.	0.		9.	7.	28.	1.	3.	7. 0.	N.	pernub. nub.

COMMERCII LITTERARII
AD
REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI
Hebdomas duodecima.

Norimbergae a. d. XIX. MARTII cIↄ Iↄ cc XXXII.

I.



Asilea accepimus, cathedram medicam obitu b. D. D. EMANVEL. KOENIGII, (*Conf. Specim. XLVI. pag. 364.*) vacantem, a. d. 1. Februarii nuperrimi *per ſortem* obtigiſſe b. defuncti Filio homonymo, eo quidem ordine, vt Illi profesſiones anatomiae ac botanices demandatae fuerint: Senioris in facultate locum et theoreticen docendi munus, D. D. JOH. RVDOLPH. ZVINGERVS obtinuerit: dimiſſam vero ab hoc profeſſionem practicam D. D. JOH. RVDOLPH. MIEG ſuſceperit. Lectori beneuolo haud ingratum fore confidimus, ſi *de hoc per ſortem eligendi ritu* pauca quaedam diſſeruerimus. *In re nimirum publica aeque ac litteraria mos ibi obtinet, vt ad malas artes impediendas, fauorisque aut odii ſuſpicionem amoliendam* ſorte fortuita *vtantur, hunc fere in modum: e. g. ſi Doctoris publici munus vacare coepit, non multo poſt publice ſignificatur, de ſucceſſore eidem dando nunc agi; quo facto Candidati, illud ambientes, Senatum academicum adeunt, nomenque ſuum ibi profitentur, expectantes, quo tempore eruditionis ſuae ſpecimina, diſputationem puta et lectionem publicam, edere iubeantur; hoc peracto, Senatus academicus et ſcholarum Antiſtites in vnum coeunt, vt, quem muneri iſti denuo praeficiant, deliberationem inſtituant. Ante vero quam id fiat, ſinguli fidem ſuam obſtringunt, ſe non niſi digniſſimo ſuffragaturos; dein ipſi hi Eligentes in tres ordines diuiduntur, quos argentei globuli, numeris 1. 2. et 3. diſtincti, et ab ipſis manicatis e culeo depromti, iis aſſignant. Tum Electores primi ordinis ſeorſim conueniunt, atque ope ſchedae, nomen vnius Candidati gerentis globulumque dictum inuoluentis, ſententiam ferunt: eodemque modo*

do secundo et tertio ordini adscripti pergunt. Hoc peracto, schedae euoluuntur, vt appareat, quis Candidatorum a quouis ordine plurimis suffragiis ornatus sit, et deinceps ternio *pro ordinum numero constituitur, ita, vt primi Candidatus primum, alterius secundum, tertii tertium in electione locum occupet. (Si vero forte acciderit, vt duo pari suffragiorum numero gaudeant, sorte dirimitur, vter eorum ad ternionem admittatur.) Trium horum Eligendorum nomina singulis schedulis denuo inscribuntur, tribusque capsis argenteis inclusa in culeum coniiciuntur, cum in alio culeo itidem tres exstent capsae, quarum vna nomen muneris continet, ceteris duabus vacuis. Tandem duo simul ex alterutro culeo globulum educunt, et publice aperiunt, claraque voce vtriusque contenta exponunt. Cui itaque fortuna fauet, vt nomen ipsius eodem tempore, quo muneris titulus, compareat, munus petitum manet. Pari modo ceterorum munerum, summorum, infimorum, nouo successore donandorum, cura geritur. Id quod partim litteris nobiscum communicatis, partim ipsis oculis testibus edocti sumus.*

II. *Baruthi* d. XXVI. Febr. viuere eheu! desiit vir doctrina et peritia praestantissimus D. D. HENR. ALB. CVNRAD, Sereniss. Principis et Marchionis Brandenburgo-Baruthini Consiliarius aulicus et Archiater, ac Collegio nostro Medico adscriptus; *(vid. Specim. XXXXVII. p. 371.)* de cuius fatis et factis proxime plura.

III. Iis, quae de Vampyris ita dictis hebdomade superiori retulimus, subiungimus *examen*, Consilii bellici iussu, in pago Maduega a. d. 7. Januar. h. a. *institutum*, quod hunc fere in modum descriptum accepimus: *Postquam ad Nos delatum est, in pago Maduega Vampyros, ita dictos, quosdam homines sanguine exsucto interemisse: iubentibus summis Praefectis quaestiones summariae de his institutae sunt, ad quas a cohortis Stallatherianae centurione, GORSCHIZ, Praetore (*Hatnack*) PARIACTAR et pedite Hungaro* (Heyduk) *illius pagi seniore, hoc responsum datum est: Omnes scilicet vno ore fateri, quod circiter quinque abhinc annis pedes eius loci,* Arnoldus Paulus *dictus, ex plaustro foenario praecipitatus interierit, qui viuus saepe enunciauerit, se prope* Cossouam *in Seruia Turcis subiecta, a Vampyro quodam vexatum, de terra sepulcri eius quaedam deglutiisse, sanguineque eiusdem se inunxisse, vt cruciatibus inde perpessis se liberaret. Hoc vero defuncto,* aiunt, *viginti aut triginta diebus post, nonnullos questos esse, quod a dicto* Arnoldo Paulo *affligerentur, morte quatuor personarum assertum comprobante. Ad medelam igitur huic malo afferendam, autore ac suasore Praetore suo, in eiusmodi casibus iam versato,* Arnoldum *huncce* Paulum, *quadraginta circiter diebus a morte eius elapsis, rursus effoderunt,*

eun-

eundemque non modo integrum atque incorruptum, ſed et floridum ſanguinem ex oculis, naribus, ore et auribus profundentem, quin etiam induſium, linteamen et oculos cruore madentia, priſcas vero reduuias et vngues delapſos, eorumque loco recentes ſubnatos deprehenderunt. Ex quibus cum apparuerit, eundem verum Vampyrum eſſe, more ſuo cor eius palo transfixerunt, quo facto ipſe altum clamorem edidit, multo ſanguine ſimul ex corpore ipſius manante: illi vero eodem adhuc die corpus igne cremauerunt, cineresque rurſus in ſepulcro condiderunt. Iidem illi affirmant, omnes a dictis Vampyris cruciatos atque enecatos quoque Vampyros fieri: quamobrem ſupra dictas quatuor perſonas eodem modo tractauerunt; quibus addunt, Vampyrum iſtum, Arnoldum Paulum *non homines ſolos, ſed et bruta inuaſiſſe, ſanguineque eos ſpoliaſſe, et quum homines carnibus harum pecudum vſi fuerint, denuo accidiſſe, vt iterum aliqui Vampyri ibi prouenirent; ſiquidem trimeſtri temporis ſpatio ſeptendecim, puerilis et prouectioris aetatis homines deceſſerint, quorum quidam, nullo praecedente morbo, duobus, maxime tribus diebus diem obierint. Pedes item* Jouiza *perhibet, nurum ſuam* Stanuickam *nomine, diebus abhinc quindecim ſoſpitem atque incolumem cubitum iuiſſe, circa mediam vero noctem cum ingenti et horrendo clamore, tremore ac timore expergefactam, et conqueſtam fuiſſe, quod peditis cuiusdam filius* Milloe *nominatus atque ante nouem hebdomadas defunctus, fauces ipſi compreſſerit; ex quo eadem nonnullos in pectore dolores ſenſit, atque in horas deterius ſe habere coepit, donec tertio die exſpirauerit. His auditis, a meridie ſtatim in coemeterium nos contulimus, ſepulcra ſuſpecta aperturi, et cadauera in iis latentia inuiſuri, ibique ſequentia deprehendimus. Primum femina viginti annorum,* Stana *appellata, (quae duobus abhinc menſibus morbo tridui deceſſerat, et ante obitum ſuum ipſa confeſſa erat, ſe ſanguine eiusmodi Vampyri tinctam, quaeque conſequenter aeque ac infans ipſius ſtatim a partu extinctus, et a canibus prope dimidiam partem deuoratus, itidem in Vampyrum abierat) integra et putredinis expers a nobis videbatur, thorace vero aperto prodibat ingens copia floridi ſanguinis vaſa egreſſi, cor cum pulmone, hepate, ventriculo et liene ſana deprehendebantur, cuticula vero pedum et manuum, vt et vngues priſci ſponte decidebant, contra ea recentes et paululum ſugillati comparebant. Tum aliam feminam* Miliza *nominatam cernebamus ſexagenariam in eodem ſtatu conſtitutam, et poſt trimeſtrem morbum ante hoc trimeſtre defunctam terraeque mandatam, quae ab his hominibus autor huius temporis Vampyrorum eſſe dicitur, carne quippe ouium a Vampyris interfectorum paſta. Porro exſtabat ibi puſio octo dierum, qui poſt ſectionem pectus vna cum corde recenti ſanguine repletum, nouosque pariter ac antea dicti, pedum manuumque vngues habebat, cerebrum autem ſimile erat puri probe concocto; infans ipſe nonageſimum iam diem in ſepulcro iacuerat. Item peditis filius* Milloe *nominatus, ſedecim annorum nona tunc hebdomada*

 terrae

terrae inclusus, et denique vndecim personae, adultae aeque ac infantes, vtriusque sexus, in eodem statu conspiciebantur. Examine finito, omnes et singuli Vampyri capite truncati, illudque vna cum trunco combustum et cineres in aquam dispersi, cetera vero cadauera putrefacta, adeoque a Vampyrorum suspicione libera sepulcris suis reddita sunt. Actum die, anno et loco supra dicto.

(L. S.)
Büttner, subcenturio legionis Alexandrinae.

(L.S.)
Joh. Flinkinger castrensis Chirurg. legion. Fürstenb.

JOH. JAC. MANGETI Med. Doctoris et Sereniss. ac Potentiss. Regis Prussiae Archiatri *Bibliotheca scriptorum medicorum etc.* (vid. Spec. XXIV. p. 185.) Tomus primus: Pars prima, continens Litt. A-B. *Geneuae* sumptibus Perachon et Cramer 1731. fol. alph. 6. pl. 9. Titul. praef. et index omnium authorum pl. 11. cum Tabb. imaginum 2. Tomus primus: pars secunda, continens Litt. C-H. *ibid.* 1731. alph. 8. pl. 14. cum Tabb. imagin. 5. Tomus secundus: pars prima, continens litt. I-Q. *ibid.* 1731. alph. 6. pl. 6. cum tab. imag, 5. Tom. secundus: pars secunda, continens litt. R-Z. *ibid.* 1731. fol. alph. 7. pl. 14. cum tab. imag. 4. Totum itaque opus constat alph. 29. pl. 8. et Tabb. imag. 16.

Vastum hoc opus 30. florenis aestimatur Rhenanis. Maximam eius partem componunt obseruationes ex *Ephemeridibus Acad. Caes. N. C.* atque recensiones ex *Actis Eruditorum* Lipsiae publicatis aliisque a capite ad calcem vsque exscriptae. Quoniam autem ipso sub prelo animaduersum est, quantum opus euasurum esset, si eodem modo pergeretur; delectus haberi deinceps coepit in obseruationibus ex Acad. N. C. Ephemeridibus huc transferendis: vnde fit, vt multae auctorum, quorum nomina a C. D. E. et sequentibus incipiunt, obseruationes praetermissae sint. Sed *Acta Haffniensia*, quum rarius

rarius obueniant, integra hic ſuis locis inſerta eſſe, praefatio monet. Quid de conſilio hoc toto, eiusque mutatione, hincque orta totius operis inaequalitate ſtatuendum ſit, lectoris iudicio permittimus. Si opera Autorum omiſſa quoad titulum ſolum addi deberent, ſupplemento haud mediocri opus eſſet. Caeterum confer. *Spec. cit.* iam dicta. Icones adiectae illae ipſae ſunt, quae horum Autorum (ſunt autem, praeter vnum Hippocratem, omnes Autori coaetanei, aut ſaltem ſuppares) operibus praefigebantur, vnde nonnullae folii, aliae quartae vel octauae itemque duodecimae eius partis magnitudini reſpondent.

Diſputatio medica *de tribus impoſtoribus, I. Potu Theae et Coffée. II. commoda vita. III. officinis domeſticis.* Praeſ. D. D. GEORG. DETHARDING publice habita a CAROL. THEODOR. THESENDORFF, Gryphisvvald. Pomeran. *Roſtochii* a. d. 7. Apr. 1731. plag. 4.

In prooemio Dom. Autor anſam dicendorum arripit ab illo *de tribus impoſtoribus* libro, qui huc vsque animos eruditorum diu multumque diuexauit, atque in diuerſas ſententias traxit, his affirmantibus, illis negantibus iſtiusmodi libri impreſſionem: huius autem, cum fama adeo dubia ſit, diſquiſitionem tantum abeſſe, vt quicquam proſit, vt potius tempus perdat, aliis tribuendum contemplationibus magis vtilibus ac neceſſariis, inter quas non exiguum ſibi vendicat locum attentio, qua cognoſcendi ſunt impoſtores bonis mortalium, a Creatore ineffabili liberalitate conceſſis, mirum in modum inſidiantes. Facili vnumquemque artis vel officii, quo fungitur, peritum, negotio, reperturum, et, modo ſcapham ſcapham appellare velit, detecturum fore mille impoſturas ſub boni habitu incedentes. Itaque Dom. A. tanquam medicus, religioſum ſe aggredi laborem duxit, ſi ſanitati et vitae hominum melius conſuleret, eaque mala, quae a triga impoſtorum, in rubro memoratorum, metuenda habent, palam faceret, atque exponeret. Veretur tamen ne incaſſum laboret, dum credula hominum mens, ab aſtutia impoſtorum ſe faſcinari amat. Haec praefatus ipſam Diſſertationem exorditur, quae tribus membris, iuxta eundem impoſtorum numerum conſtat. Quoduis membrum duos habet articulos, vnum *de blanditiis*, alterum *de noxis* eiusmodi impoſtorum inſcriptos. In membri primi, *de potus Theae et Coffée* impoſtura, eiusque Articulo I.

de horum potuum blanditiis, differens Aut. ad eas §. 1. refert *salutarem* vtriusque potus *effectum*, passim in bene valentibus, passim in aegrotantibus, obuium. Vsum eorum iustum et tempestiuum omnino bonum, et in praeseruandis, et in arcendis variis morbis apprime salutarem et proficuum, praedicat: promiscuum autem vsum, matrem noxarum inde redundantium fieri edocet: §. 2. huic imposturae blandiri quoque ait, *morem Magnatum*, ad quorum exemplum credulus orbis facile componitur. §. 3. blanditiis annumerat, *ipsos quosdam medicos*, eiusmodi sorbillationum nimis gratiosos Patronos; vnde scandalum acceptum oritur; dum in exemplum licitarum ingurgitationum, saepius de die repetendarum, allegantur. §. 4. Ad censum blanditiarum, ad potuum calidorum frequentissimam abliguritionem inuitantium, pertinere ait, *prouocationem ad valetudinem integram, qua gaudent gentes, quibus potus isti familiarissimi sunt*, vt a morbis, ceteroquin plurimos homines insultantibus, nec in his oris infrequentibus, haud corripiantur. §. 5. ad blanditias non parum conferre ait, hanc egregiam scilicet, si robur eius attendatur, excusationem, *suauissimam* nimirum *huiusmodi potibus hospites reficiendi esse methodum.* Inde ad Articulum II. de noxis vtriusque potus pergit, et non exigua valetudinis damna exspectanda monstrat a promiscuo vsu, nec habito respectu aut discrimine temperamentorum, sexus, aetatis, aeris, vitae generis, quantitatis; quibus accedit praua quotidiani vsus consuetudo: de quibus autem sanitatis detrimentis, certo inde secuturis, etiamsi a cordatioribus medicis moneantur, eo minus sibi persuaderi patiuntur Thermopotae, quo tardius ipsimet ea sentiunt. In membri *secundi de vita commoda* articulo I. de blanditiis acturus Dom. A. §. 1. quid ea intellectum velit, indicat, §. 2. blandiri huic ait, quod *requies dicatur merces laboriosae vitae*, hactenus perpessae; hinc magni habenda sit, et ambabus amplectenda. §. 3. Alteram Sirenem dulce canentem, et huic imposturae fauentem, esse *tranquillitatem animi*, quam commoda vita in sinu foueat. §. 4. fascinare docet commodam vitam eo, quod *amici, honores, delectationes* facilius illa parari possunt. §. 5. ad blanditias porro commodam vitam insinuantes refert, *insitam, cuiusuis emergendi et commode viuendi indolem*, et studium eos aemulandi, quos hac tranquillitate vitae gaudere videt. Hinc autem illae lacrymae et noxae sanitatis metuendae, quas Dom. A. Articulo II. innuit; dum ab eiusmodi vita desidiosa corpus vel nimiam quantitatem humorum inducit, quae sub Plethorae nomine inter Pathologos venit, et fertilissima mater omnium inde propul-

lu-

bulantium aegritudinum, corpus, non ſine diſcrimine vitae, infeſtantium, ex quotidiana experientia deprehenditur; vel vitioſam qualitatem, quae ſub ſpiſſitudinis nimiae titulo, non minora, niſi peiora ac prior, valetudini damna, ac noxas ferales minatur. *Tertium* quod attinet membrum, *de officinis domeſticis inſignitum*, antequam ſermonem de eo inſtituat Dom. A. quales blanditiae ipſis inſint ſanitati hominum imponere aptae, praemonet, non ſibi mentem eſſe de remediis, quae medicae artis periti, ſiue clinici ſiue chirurgi, in vſum tam proprium, quam aegrorum ſolatium, domi parata ſeruant; neque de illis medicamentis, quae arculis incluſa, medici ad medendum rus vocati, ſecum portant; neque de alio quopiam medicamine, quod ab vno vel altero poſſidetur, et longo vſu atque experientia pro comperto ac ſalutari habendum eſt: ſed ſub vocabulo Officinarum domeſticarum heic loci, intellectum vult apparatum medicamentorum aliunde vt plurimum comparatorum, de quorum vſu et modo adhibendi ſchedulae typis impreſſae ſimul proſtant et traduntur; id quod medicaſtrorum et circumforaneorum familiae negotium eſt. Et quum in comparandis talibus ſic dictis Officinis domeſticis error facile committi, atque vel propriae vel aliorum ſanitati ex vſu et diſpenſatione medicamentorum intus contentorum haud parum noceri poſſit: praeuenire his damnis ſtudet Dom. A. indicando impoſturas latitantes ſub blanditiis huc inuitantibus, quas inter Art. I. §. 2. refert *autoritatem Medicorum*, quae talibus officinis patrocinari videtur, ſiue quod vnum alterumue medicamentum magnis elogiis commendauerint, e domo ſua vendiderint, et typis publicis vulgo oſtenderint; ſiue quod apparatum quorundam remediorum vſu probatorum, ciſtulis arculisque incluſerint, vt ad lubitum maiori vel minori pretio comparari, et in diſſitas oras transferri poſſint. Inuidiae hinc eſſet, tales reiicere ſollicitudines, in ſalutem hominum tendentes; oſcitantiae vero, talem occaſionem negligere et detrectare. Alterum blanditiarum momentum a Medicis quoque originem trahere §. 3. monſtrat; quando vel officioſo complacendi ſtudio, vel diteſcendi appetitu huic vel illi abſenti remedia, ſibi congrua et ad morbos ex varia diaeta metuendos arcendosue facientia, tradunt vel obtrudunt, et regimen ſub vſu illorum ſeruandum liberaliter, manuque propria addunt: quo blanditiarum genere inprimis delectari feminae nobiliores ſolent, idque aegrotantium genus, quod Galli *Malades imaginaires* vocare conſueuerunt. His non poteſt non placere, quod ad nutum quaſi praeſto ſint, eaque praebeant, quae pro valetudine tuenda optari poſſunt: quodque per-

perſuaſum habent talia eſſe remedia, quae ad minimum ſint innocua, vnde futurum ſperant, vt nihil fiat mali ſi optatum finem obtinere etiam non poſſint. Enimuero latere hic anguem in herba. Senſim enim hinc ſubnaſcitur *conſuetudo aſſumendi medicamenta*, artic. II. §. 2. ſub qua homines peſſime degere, grauiter oſtenditur. Maius autem pullulat ab eadem radice malum, *neglectus debiti temporis* pro morbis exſtirpandis. §. 3. denique ſenſim inoleſcit huiusmodi hominibus habitus quidam contemnendi remedia medicorum, etiam probatiſſimorum probatiſſima: omninoque inuenti ſunt tam male conſulti, qui vocatum tandem medicum non alia medicamenta adhibere volunt, quam ex pharmacopolio ſuo domeſtico depromta. §. 4. Tandem et haec noxa euidens hinc pullulat, quod talibus confidenter addicti, *promtitudinem* aliquam et *quaſi hoſpitalitatem induant, non adeo ſibi, ſed et aliis, ſiue amicis, ſiue non amicis, ſubueniendi iſtis remediis*, quae ciſtula ſua includuntur: adeoque multitudo eorum, qui ſe medicinae, quam non didicerunt, faciendae ingerunt mirum in modum augeatur: quod quam ſit Reip. noxium, et medicaſtrorum conſcientiis oneroſum, nimis parum perpendi aſſolet.

His annectimus diſſertationem hanc in germanicam linguam traductam, publicatam eſſe ſub hoc titulo: Tractatus medico-hiſtoricus de tribus impoſtoribus, oder freymüthige Gedancken von denen drey berüchtigten Verführern des Volcks 1) dem Getränck des Thée und Coffée. 2) der Erwählung commoder Tage. 3) der Anſchaffung derer Haus-Apothecken; als wodurch viele tauſend Menſchen ſich betrüglich um Leib und Leben bringen laſſen. Zur Warnung und Vermeidung kurtz und deutlich eröffnet von ANDRONICO. *Coſmopoli* 1731. zu finden bey Peter Martin Roman. 8*uo* pl. 5.

LIBRI NOVI.

I. Höchſtnöthiger Unterricht von der Geburt des Menſchen etc. i. e. neceſſaria inſtructio de partu hominis, quae nempe ante, in et poſt illum obſeruanda ſunt, qua obſtetricibus et ad officium illarum adſpirantibus, vt et omnibus probis coniugibus obſtetricum ope adhuc indigentibus, breuiter atque perſpicue demonſtratur, quomodo in omnibus eo tempore occurrentibus accidentibus pie, prudenrer, et apte ſe gerere debeant, ne matres et foetus negligantur, neque opitulantium conſcientiae onerentur, ſine admixtione terminorum latinorum ſingulari ſtudio concinnata a JAC. MICH. KORNMANN. Lic. *Erfurti* impenſ. Joh. Geor. Zimmeri 1731. 8*uo* pl. 6.

II. Diſſert. inaug. *de ſemine virili.* Praeſ. SIM. PAVL. HILSCHERO. Auctor. PETR. LIEBMANN KAEHLERO *Jenae* menſ. Ap. 1731. pl. 2. cum dim. cum programmate *de phoſphoris* primo HERM. FRID. TEICHMEYERI. pl. 1.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima tertia.

Norimbergae a. d. XXVI. MARTII cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Iguro miſſam accepimus diſſertationem phyſicam Exc. Dom. JOH. JAC. SCHEVCHZERI, Med. D. Math. P. Acad. Imp. N. C. Adiuncti, Socc. Regg. Angl. et Pruſſ. Membri, cuius hic eſt titulus: *Coelum triſte ad Julias Calendas anni MDCCXXXI. typis Joh. Henr. Byrcklini. 4to. pl. 5½.* Potiſſimus Cel. A. ſcopus eo tendit, vt fulmineam illam, quae, nocte inter vltimum Junii et primum Julii media, per omnem fere extenſa Heluetiam, extrema quaeque portenderat, tempeſtatem, ſicuti poſt hominum vmquam memoriam maximam, ita etiam attentione atque accurata deſcriptione digniſſimam, exactiori paulo contemplationi ſubiiciat. Quum vero praecedentium et ſubſequentium menſium obſeruationes meteorologicae multum affundant lucis, cum illuſtrandis, tum confirmandis dictis; illas quoque tradit, adeoque breuem quandam totius elapſi anni 1731. meteorographiam exponit. Satis iam aliunde conſtat, quantum vel hac modo in parte ſummo huic viro debeat ſcientia naturalis: ipſa vero praeſens diſſertatio nouum eiusdem argumentum eſt, omnibus omnino gratum et acceptum futurum, quotquot curae habent haec doctrinarum ſtudia. Inuenies enim heic ſumma cum induſtria atque accuratione inſtitutas obſeruationes de grauitate, calore et frigore, ventis pluuiarumque quantitate, medicas item et agrarias; videbis pulcerrime inde explicata et illuſtrata naturae phaenomena, et, quod inprimis illas commendat earumque vſum maxime praeclarum edocet, aſſignata vbique diuinarum perfectionum veſtigia,

ita vt et teleologiae horum naturae phaenomenorum insigne deprehendas specimen. Ipsa deinde satis prolixe descripta fatalis illa tempestas multa suggeret, quae ad pleniorem aliquanto naturae atque indolis fulminum intelligentiam faciunt. Denique peculiarem adhuc attentionem sibi vendicat historia luis pecudum illique medendae methodus, quam ad finem fere elegantissimae dissertationis tradit. Nullus dubitat Exc. Dom. A. asserere, esse illam optatissimi successus, et ipsa experientia probatam, vnde non ingratam lectoribus nostris operam fore credimus, si eandem totidem verbis recensitam heic exhibeamus. Ita autem habet: *Mense Decembri grassabatur lues inter equos, boues, vaccas, in praefectura* Belfortensi, Cannat dans la Generalité de Moulins, Principatu Montisbelgardensi, *exorta sub lingua, vel ad eius latus, vesicula seu pustula, cui ni succurritur illico, abit illa in carcinoma, quo lingua erosa cadit, et bestia spatio 24. horarum perit. Aggreditur haec lues indiscriminatim nunc hoc nunc illud stabulum, hoc illudue iumentum, etiam absque communicatione mutua. Edit, bibit, officiis suis defungitur animal, donec lingua cadat. Quapropter vt succurratur mature, bis terue de die iumentis inspicienda est lingua. Optimo autem cum successu* προφυλάξεως *loco quotidie eluitur os aceto infusionis piperis, allii, salis. Vel exhibetur bestiae sequens remedium: theriac. drachm. iij. caryoph. cinnam. ana dr. j. piper. grosso modo contus. dr. ij. zingib. dr. j. baccar. iunip. dr. ij. nuc. mosch. n. j. affund. vini rubri mens. j. diger. per 5. vel. 6. hor. Pustula autem iam exorta est illico cochleari alioue instrumento argenteo disrumpenda, membrana abstrahenda: dehinc eluendum est os et vulnus aqua communi, vel aceto forti supra memorato, tandemque hoc fricandum vitriolo Cyprio vel coeruleo; vel sumitur vitrioli vncia vna, soluitur in mensura dimidia aceti fortis, addita mellis libra dimidia, super ignem. Huic aceto intingitur linteum, eoque baculo circumligato fricatur vulnus, vsque dum prodit sanguis.* Caeterum eadem quoque dissertatio in germanicam translata linguam prostat, hoc insignita titulo: Beschreibung des Wetter-Jahrs MDCCXXXI. besonders aber des traurigen Himmels ꝛc. ibid. 4. pl. 4. In qua adornanda Cel. eius A. parum aut nihil ab illa latina recessit: nisi forsan id notandum putaueris, quod in hac germanica tabulae ampliores, et, loco corollariorum dissertationis, nonnulla de vsu harum obseruationum consectaria adiecta sint. Vtrique vero, et huic germanicae, et illi latinae, duae postmodum accessere tabulae, aeri incisae, eaedemque inclyto Bononiensi instituto sacrae, quarum altera differentias altitudinis barometri, inter montem *Gothardi* et *Tigurum*, earumque vices; altera medias barometrorum altitudines, in mensuris Parisinis, vno in

in conſpectu videre licet. Conſimili argumento eſt *opuſculum, tempeſtates anni praeteriti meteoras continens*, quo lucubrando Virum cl. JOANNEM RVDOLPHVM ZIEGLERVM in Gymnaſio Tigurino Collaboratorem Claſſicum, iam occupatum, ex ſchedula ibidem typis expreſſa, cognouimus. In hac nimirum omnes et ſingulos, quicunque huic operae, ex tempeſtatibus vel meteoris, vel temporum ſucceſſiuis, ſiue proprio, ſiue alieno, ſaltim haud dubio ſtudio litterisque fide dignis, iam obſeruatis et inpoſterum obſeruandis, inſeruire poterunt, rogatos vult, vt quicquid obſeruationum eiusmodi, non pertaeſi laborum, ſcribendo dignum exiſtiment, quam promtiſſime transmittant, certiſſimeque perſuaſi ſint fore, vt, quas fecerint, impenſae ſarciantur, iisque, qui huic operae ſe commendauerint, ſuo tempore publicandi huius opuſculi exemplar dono praebeatur. Ipſimet pro hac cauſa ſtudium interponimus noſtrum, accepturi lubentiſſimi, ſi qui, nobis propiores, noſtra vti opera, nobisque committere voluerint, illuc transferenda, quae collatu non indigna iudicauerint, ſymbola. *Indidem* accepimus: Vernunfft-mäßige Untersuchung des Bads zu Baden ꝛc. i. e. *rationalis disquiſitio thermarum Badenſium, earumque proprietatum et effectuum.* Auctore JOH. JAC. SCHEVCHZERO, Med. D. Math. P. etc. *cum et ſine figuris.* Tiguri *litteris* Marci Rordorfii *1732. 4to. pl. 8½. titul. et Ded. pl. ½. cum tab. 2. in fol.* cuius pleniorem notitiam alii tempori reſeruamus.

II. *Amſtelodamo* accepimus, D. CASPAR. COMMELINVM, Medicinae Doctorem et Botanices Profeſſorem diu celebratiſſimum, Acad. Nat. Curioſ. membrum ſpectatiſſimum, anno aetatis quarto et ſexageſimo a. d. XXVI. Decembr. anni praeter. fatis conceſſiſſe; cuius vitam et ſcripta proxime enarrabimus.

III. *Rintelii*, quae academia eſt Haſſo-Schauenburgica, D. D. FRANC. ZIEGLER, Scaphuſa-Helueticus, ad profeſſionem medicam ſecundariam haud ita pridem vocatus, muneris ſui auſpicia d. VIII. Cal. Febr. cepit, oratione ſolemni habita, *de vſu mechanices in arte ſalutari.* Ad quam audiendam Rector illius Academiae D. FRANC. VLRICVS WALTER, S. S. Theol. D. linguae Graecae Prof. et Eccleſ. Reform. Paſtor programmate inuitauit, cuius fere ſimile eſt argumentum.

D. D. CHRISTIANI DEMOCRITI Animaduersiones *in Tincturam Antimonii* D. D. SCHNEIDERI. (*Conf. Spec. XLI. p. 321.*)

Nunquam ſine formidine oppoſiti chymicus quispiam, licet expertiſſimus, de ſuis experimentis, ſi vel absque omni praeſcripto ſibi obtingant, dixerit: *Auis vmquam etc.* Infinita enim iam ſeculis noſtris Alchymicis vel in ſchedis latent, vel oretenus propagantur, quae nusquam in rerum natura fuiſſe tibi forte perſuadeas, quia nec in GLAVBERO, KVNCKELIO, BECHERO, STAHLIO, nec aliis leuioris ſortis chymicis, qui venales proſtant, lucem aſpexerunt. En! ergo in dictorum fidem, totum lectori arcanum, quod D. D. SCHNEIDERVS in admirationem trahi deſiderat. En etiam plura, quae forte ipſi de hoc duplicato ſubiecto incognita ſunt, et tamen plurimum ad penitiorem inquiſitionem regni mineralis facere poſſunt.

Rec. Cadmiae natiuae et mineralis, non quae ex furnorum vſtoriorum et fuſoriorum lateribus ſeparatur, ſed quae in agro *Leodienſi* et *Aquisgranenſi* terra effoditur, vulgo Gallmey dicta, libr. 1. in puluerem redactam, et tantundem antimonii crudi bene triti, commiſce in mortario probe puluceres, et aliquot minutarum ſpatio habebis puluerem illum, qui datus eſt D. D. GOETZIO, ſalinum, non tantum in ſpiritu vini rectific. ſed et ipſo vino et aqua ſolubilem, diuerſi tamen coloris ſolutionem exhibentem. Cui compertum eſt, limaturam martis et ſulphur commune, vel antimonium crudum, commixta et leuiter aqua irrorata, etiam, licet lentius, in vitriolum abire, vel ſalem praeſtare; eundem forte effectum ſuſpicabitur, ſed falletur, cum hic vitriolum ſaltem martis prodeat, in deſtillatione acidum ſulphuris fundens vt commune, in concreto vero vitriolico ex cadmia et antimonio aliud plane ſe ſiſtat ſalis genus, cuius phaenomena rara iam pandemus, in quantum propriis manibus et oculis iam anno huius ſeculi quinto *Berolini* luſtrauimus. Vigebat tum temporis, et totius adepturientium, vt ita loquar, turbae in dicta vrbe manibus terebatur chaos iſtud ſaturninum, mercurius duplicatus, materia quae ſe ipſam ſoluit et lauat, benedicta viriditas, vitriolum non vulgare ſed philoſophicum, et quae ſunt alia ſacra nomina Alchymiſtis decantata, quae omnia hic ex amuſſim quadrabant, et ſpem alebant, aut hic aut nusquam aurei velleris ſpolia reportanda fore. Erat tum mihi a laboribus chymi-

micis homo laborum chymicorum experientiſſimus, qui iam cum patre ſuo per multos annos rapinae huic ſplendidae inhiarat, et ſuaſor mihi erat, vt manibus eius et directioni meae ſubiectum hoc admirandorum pleniſſimum ſubiicerem; annuebam eius deſiderio, et meae etiam curioſitati ſatisfacturus ſumptus lubentiſſime ſuppeditabam. Commiſimus ergo primo praedictos commiſtos pulueres retortae, et deſtillando extraximus circiter 7. vnc. vsque ad libr. dimid. liquoris ſpiſſi et oleoſi, qui ſub finem deſtillationis in collo retortae in concretum album ſalinum abibat. Id ſublimatum ſiccum cum liquido confuſum, vti dictum, pendebat praeter propter ſemi libram, vterque vero puluerum libram aequabat: prodiit ergo ex ſubſtantiis ſiccis quarta pars in liquorem reſoluta, qui liquor nec odore nec ſapore vlla veſtigia acidi ſulphurei et mineralis, ſed liquamen ſaltem ſalſum praebebat, in omnibus ſolutioni ſalis ammoniaci vulgaris ſapore correſpondens, ſicut et ſublimatum ſiccum penitus ſalem ammoniacum ſapore et pondere ſpecifico mentiebatur. Caput mortuum in fundo retortae inueniebamus viuide, ad indolem ſanguinis, rubicundum, id quum affuſa aqua ſolueremus, ſolutio illico emergebaterideſcens et lucidiſſimo ſmaragdo ſimilis, quae praebebat vitriolum prorſus ſmaragdinum, ſpei plenum, et ipſos oculos exhilarans. Vitriolum iſtud philoſophicum, (quis enim tale non crediſſet) denuo ex retorta vrgebamus, et idem rurſus ſpiritus cum ſublimato ſe ſiſtebat. Soluto iterum capite mortuo, idem prodibat vitriolum ſmaragdinum, quod deſtillationi commiſſum, tertia etiam quarta vice, in liquorem eundem fatiſcebat. Subducto igitur calculo, videbamus non ſine ſtupore philoſophico, vix octauam partem horum puluerum, prorſus ab initio ſiccorum, in terra rubra vitriolica reſtitare, reliquum vero omne per ſe et ſine omni menſtruo, niſi aqua ſola, in liquorem ſalinum abiiſſe. Quis talia videndo non obſtupeſceret, et prae gaudio philoſophico non extra ſe raperetur? Collectos hinc omnes liquores deſtillatos cum ſublimatis ſiccis, alembico ſubdita, leni calore a phlegmate inerte liberabamus, et in fundo cucurbitae remanens liquamen ſpiſſius frigido aeri expoſitum in glaciem concreſccbat. En tibi rurſus fauſtiſſimi euentus praeſagia! aquam ſiccam, ſperma lunae, gluten aquilae, ſalem noſtrum ammoniacum, ſulphur naturae, ſalem fuſibilem et omnia reliqua arcani philoſophici et materiae lapidis proximae, imo clauis reſerantis amica nomina. Iam dum ad manus erant ex vtroque luminum ſolis et lunae praeparatae calces, ad album nimirum et rubrum, quas aquilae noſtrae deuorandas in ouis

philoſophicis obiiciebamus, ſed fruſtrato eheu! ſucceſſu; aquila enim noſtra nec roſtrum nec vngues mouebat, et corpora luminarium magnorum eclipſin ſubire philoſophicam recuſabant. Spes ergo concepta vacillabat, nondum tamen penitus decollabat: alia via opus vrgendum erat. Accepimus mercurii currentis vncias duas, huic in retorta addebamus vncias ſex mercurii noſtri ceu philoſophici, ſpem alentes fore, vt ſi igne intenſiori tandem hi diuerſi mercurii vrgerentur, in vnum concretum ſalinum coeant, et ita demum genuinum mercurium philoſophicum duplicatum nobis ſiſtant, auro et argento magis homogeneum, et ſic ſolutioni praeſtandae aptiorem. Sed ecce! nouum ſpectaculum nobis omnino ingratum: mercurius currens adhuc currens cum mercurio noſtro philoſophico tranſcendebat, nil omnino in fundo retortae relinquens. Mercurius tamen vulgaris deprehendebatur auctior et plumbeo colore decoloratior, menſtruum vero liquidius, quod cum affuſa aqua calida penitus a mercurio ſeparaſſemus, hunc inueniebamus iam duplo ſui pondere auctum, ſed inertem, lentum et vix dignum, qui vulgaris mercurii locum et pretium ſubeat. Cecidit hinc quidem noſtra ſpes lapidificandi; raritas tamen experimentorum impenſis erat nobis digniſſima. Vlterius ergo ſalem iſtum ammoniacum, communi per omnia analogum, experiendo vellicabam, viſurus, an et communia ſalis ammon. ſiſtat producta; quem in finem alcali fixum ei immiſcui, et praeter exſpectationem ſpiritum et ſal volatile vrinoſum, ei quod ex regno tam animali, quam vegetabili extrahitur, per omnia ſuppar accepi. Vlterius inquirere, ob alios labores ſubſtiti, alias etiam indolem acidi, quod alcali volatile iſtud minerale ſibi innexum tenuit, ope olei vitrioli ex reſtitante in fundo ſale neutro exploraturus fuiſſem. Quod ſi STAHLIVS Noſtras, ſolers et acutus, rimandae vlterius huic experientiae, ſi forte ipſum adhuc lateat, manus et ingenii vires admouerit, non dubito, pulchra adhucproditura, quae nos ad intimiora horum trium regnorum manu ducere poſſint. Si quid veri coniicio, tria haec regna non adeo ſibi aduerſa et diſſita ſunt, quin facili negotio vnum in alterum transmutetur. Imo fidem meam liberare poſſum experimentis, iam dudum me ex regno animali et vegetabili feciſſe mercurios currentes, ſicuti iam ex ſubiecto minerali ſal volatile vrinoſum prodiit, quod in experimento priori ſine dubio ad augmentum mercurii vulgaris mineralis contulit. De effectu medico, quem D. SCHNEIDERVS ſibi ex tinctura ſua antimonii ſpondere, et vlterius aperire velle promittit, non multum ipſi et mihi promitto:

in-

integra enim et ſuperficialis ſolutio huius vitrioli, ob conſtringentem nimis efficaciam, niſi iuſto tempore et caute adhibeatur, plus damni, quam emolumenti aegrotis ferre apta nata eſt. Deſtillatum vero meum in morbis acutis et infectiuis ob vim anodynam et ſimul expultricem, nunquam non erit proficuum. Vitriolum tamen crudum adhuc, ſicut et ipſa eius terra mortua, multum valet in extergendis et conſolidandis vulneribus et vlceribus cacoëthicis, quibus et ipſum deſtillatum, tam interne, quam externe, apprime proficuum eſt.

CHRIST. GODOFR. STENTZELII medicina theoretico-practica, *vid. Hebd. IX. p. 72.*

Praeſentis opuſculi Cel. Dom. Autor theoriam et praxin medicam coniunctim traditurus, hanc ſibi normam dicendorum praefixit, vt explicato hominis ſtatu naturali, rationem ſimul morborum, remediorum et medendi methodi haberet. Quum vero tam multa tamque diuerſa ſint, quae nobis ſalubrium et inſalubrium notitiam ſuppeditant, et genuinum eorum ad ſanitatem tuendam, et morbos curandos, vſum edocent; repudiata, in docendo aeque ac diſcendo medicinam, omni prolixitate, praecepta mandat aphoriſmis, aptis, concinnis et elegantibus, qui neceſſaria tantum complectuntur, ac experientia et ratione ſuffulti, ad ſcopum rite obtinendum ſufficiunt. Has inſtituti ſui rationes in praefatione ipſius opuſculi, quod Perilluſtri Domino de LOSS dedicatum voluit, paucis exponit. Neque vlli dubitamus, quin non auditores ſolum, quorum in gratiam iſta inprimis adornata ſunt, grato agnoſcant animo hanc Auctoris noſtri induſtriam, ſed et omnes in vniuerſum, quotquot in vnam veluti ſummam collecta legere deſiderant, quae de vno eodemque argumento, ad theoriae et praxeos neceſſarium vſum, ſcire neceſſe eſt. Abſoluit autem Cel. A. noſter omnem tractationem ſuam XX. capitibus, praemiſſis prolegomenis, in quibus *de origine, incremento, ſectis et ſubſidiis medicinae* ſuccincte atque erudite diſſerit. Capite I. *de homine, huiusque phyſiologica et pathologica diſtributione* agit, *p. 11.* Cap. II. *de corpore humano in genere* tradit, *p. 15.* anatomicam prius corporis diſtinctionem exhibens, docet, quibus vnaquaeque pars circumſcribatur terminis, et quas in ſe partes incluſas contineat; inde morbos potiores, inibi poſſibiles, enumerat: huic anatomicae phyſiologicam adiungit diuiſionem in ſolidas

et

et fluidas partes; vtrarumque rursus morbos, horumque media et curationem generalem recenset. Cap. III. *de chylo et canali alimentorum* tractat, *p. 28.* indicatis primo, quid nomine chyli veniat, et quid ad eius indolem conferat cum quantitas, tum qualitas alimentorum, ipsum chylificationis negotium expendit, eumque in finem canalis alimentorum, quem oesophagus, ventriculus et intestina constituunt, fabricam et actionem considerat. Nimirum breuiter summatimque ea complexus, quae circa deglutitionem, et secundum, et praeter naturam, accidere solent; seorsim etiam ventriculi munus explanat, ex eius indole regulas diaeteticas elicit, inde morborum eiusdem indicem sistit, atque porro ad illorum curam progrediens, praecepta primum generalia praescribit, deinde speciatim emeticorum vsum discutit, declarando, quibus illa conditionibus noceant, prosint; quibus ex varii generis emeticis pro varia mali origine vtendum, et qua tandem methodo propinentur. Hinc vlterius dictum canalem prosequutus, intestinorum fabricam, distinctionem et functionem examinat, et quo viae chyliferae ducunt, sequitur. Atque huic naturalis status considerationi illam quoque praeternaturalis subiungit, explicatisque morbis, heic oriri solitis, primariis, ipsam simul eorundem medelam tradit, et sigillatim de anthelminticis, carminatiuis, purgantibus et eccoproticis, hydragogis, cholagogis, melanagogis, panchymagogis, colicae item, diarrhoeae et dysenteriae cura instruit. Patet hinc, qua ratione et quo ordine procedat Cel. A. in tradendis aphorismis suis: consimili vero modo reliqua pertractat argumenta capitum subsequentium, quorum adeo titulos allegasse sufficiat. Agit autem cap. IV. *de sanguine huiusque circuitu atque instrumentis, p. 93.* Cap. V. *de febribus; p. 129.* Cap. VI. *de scorbuto variisque illius speciebus; p. 160.* Cap. VII. *de obstructione, inflammatione, tumore, scirrho, vlcere, cancro, gangraena et sphacelo; p. 180.* Cap. VIII. *de lympha et illius secretione; p. 201.* Cap. IX. *de succo neruoso, cerebro, cerebello et spinali medulla; p. 211.* Cap. X. *de sensu, iisque, per quae sentimus, organis; p. 244.* Cap. XI. *de respiratione et huius instrumentis; p. 288.* Cap. XII. *de transspiratione insensibili et sensibili; p. 301.* Cap. XIII. *de corporis nutritione; p. 312.* Cap. XIV. *de lactis secretione; p. 322.* Cap. XV. *de secretione bilis; p. 328.* Cap. XVI. *de lotii secretione; p. 336.* Cap. XVII. *de fluxu menstruo; p. 344.* Cap. XVIII. *de liquoris genitalis secretione; p. 350.* Cap. XIX. *de succi pancreatici et similium liquorum secretione; p. 355.* Cap. XX. *de homine nascendo; p. 359.* ad cuius calcem index rerum et verborum adiectus est.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima quarta.

Norimbergae a. d. II. APRILIS cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Öttingae summe reuerendus Dom. Doct. et Prof. HEVMANN ad Orationem *de vita ac meritis* JOH. JOVIAN. PONTANI in solenni Panegyri habendam inuitauit programmate *de eloquentia Medici* conscripto. Ad hoc thema explicandum ansam sibi praebuisse, ait laudatissimus et omni eruditionis genere praestantissimus Dom. Autor, illud CELSI de HIPPOCRATE *iudicium*, quo in praefatione eum adpellat *Virum et arte et facundia insignem.* Plenius in hoc peregregio scripto exponit D. A. quae celeberrimus olim Lipsiensium Medicus, JOH. BOHNIVS, in suo *de officio Medici* libro, et quidem *Cap. IV.* tribus saltem verbis habet. Requiri nempe omnium maxime a medico, vt in cathedra non tantum aut scriptis facundiam suam exserat, (quam Dom. Autori eloquentiam publicam nominare et priuatae opponere placet) verum etiam in confabulationibus et conuersationibus familiaribus verba comta faciat, sermonesque concinnos instituat: quod quidem eo minus in dubium vocare licet, quo frequentius obseruare datur, quod ingens verbis grauibus suauibusque potentia, in animi affectibus varie moderandis, et ipsa aegrotantium valetudine redintegranda, subsit. Quare non sine ratione veteribus erat dicterium: *in verbis magnam inesse virtutem.* Et multi medicorum in exemplum allegari possunt, de quibus iure praedicari potest, se affabilitate sua infirmis melius consuluisse, eosque a morbis magis liberasse, quam longa ac multa medicamentorum propinatione, quos inter nominare licet PHIL. JOACH. VADIA-

NVM et JOH. CRATONEM. Lingua certe promta atque diserta apud aegrotantes tantam habet vtilitatem, vt vix crederes, quantam medicus ea sibi parare possit confidentiam, adeo vt aegrotus illum pro altero agnoscat Aesculapio: hinc PLINIVS in Histor. Natural. Lib. XXIX. Cap. I. *vt quisque*, ait, *inter medicos loquendo pollet, illico fit imperator vitae nostrae necisque.* Aliter contra de medico, apud LAERTIVM Lib. VIII. §. 35. sonant verba: *callendae arti satis idoneum quidem: in scribendo autem et loquendo languidum esse.* Maxima aegrotantium pars eiusdem indolis est, ac Aristoteles, qui morbo decumbens medicum se inuisentem ita alloquebatur: *noli me putare veteranum cisiarium aut agasonem, quin aperte mihi expone causam morbi.* Probe cauendum tamen prudenti medico est, ne eloquentia sua in garrulitatem aut ventositatem circulatoribus dignam abeat, eoque illud incurrat, quod in prouerbio dicitur: *medicus garrulus aegrotanti alter est morbus.* Sub finem pereruditi huius scripti, allegat Dom. A. quosdam et lingua et calamo celebres medicos, et inter veteres meminit HIPPOCRATIS et GALENI, inter recentiores autem et adhuc superstites nominat, omni honoris titulo exornandum D. JOH. GODOFR. BERGERVM, Vitebergensem Professorem diu celeberrimum, cuius *Physiologiam medicam*, b. D. BVDDEVS tanta conscriptam esse testatur verborum elegantia atq; ornatu, vt reliquis in hoc genere dubiam fecisse palmam videatur.

II. *Parisiis* scribunt, in secundo *nouae Chirurgorum Academiae* conuentu, Dominum de la PEIRONIE, qui chirurgus Regis primarius est, et instaurandae huic academiae plurimum operae dedit, litteras Comitis de MAVREPAS societati praelegisse, quibus illa, Regis nomine, iubetur, hebdomadis cuiusque die quoque Jouis, a tertia ad quintam vsque horam, conuentum suum cogere. Dominum du VERNEY, jun. peractis aliis, incrementum huius academiae spectantibus, tractationem *de tumore quodam ex dilatata vena nato*, recitasse. Eandem porro academiam praemium, sub anni proxime futuri auspiciis exhibendum, numum nempe aureum, pretio ducentas libras aequantem, ei proposuisse, qui, ex academiae iudicio, sequentium problematum optimam dedisset solutionem: *cur scilicet alii tumores penitus exstirpandi, alii vero tantum aperiendi sint; quaenam etiam circumstantiae in vtraque operatione cauterium antehabendum ferro suadeant, et quaenam huius selectus causae sint?* Atque hocce praemium quibuscunque, quarumcunque etiam nationum, chirurgiae cultoribus, solis academiae membris exclusis, ad trigesimum vsque Septembris exponi,

quo

quo tempore elapſo nullam amplius acceptum iri eorundem ſolutionem.

III. Altorfio accepimus D. D. IO. HENR. SCHVLZE Profeſſionem anatomes et chirurgiae, nec non Graecae et Arabicae linguae dimiſiſſe, vt Clementiſſimae vocationi ad medicinam, philoſophiam, eloquentiam et antiquitates in Regia Fridericiana docendas obſequium praeſtare poſſit. Ita maturabit iter vt ante proximas ferias Halam perueniat, ſeque ad ſuſcipiendum et incoandum nouum munus comparare poſſit.

D. D. GEORG. ERH. HAMBERGERI Aneuryſmatis ſpurii diſſecti hiſtoria.

Studioſo cuidam, ante feſtum Michaelis a. p. vena ſecatur baſilica dextri brachii, ſed adeo infauſte, vt arteria quoque ſubiacens ſimul laederetur. Hoc an chirurgus ſtatim cognouerit, affirmare nequeo; illud tamen certum eſt, quum tumor in flexura cubiti nucis auellanae magnitudinem haberet, a chirurgo conſilium eſſe datum, vt ſtudioſus arcam paruam lapidibus oneraret, et manu dextra frequenter agitaret; quo facto indies tumor euaſit maior, ita vt circa feſtum Martini, quo tempore aegrotus Cl. Dom. Conſil. Aul. TEICHMEYERI auxilium implorabat, iam ouo anſerino eſſet aequalis. Hic Vir Cl. ex pulſu in tumore deprehendens aneuryſma adeſſe, absque ſectione curationem vix ſperari poſſe pronunciauit, hoc vero remedii genus aegroto tunc repudiante, alia quidem per vnam alteramque ſeptimanam, ſed absque ſucceſſu, tentata ſunt. Aliquot diebus poſt, neſcio quo fato, medicaſtro, omni ſcientia medica deſtituto, traditur aeger; iſte pro fungo habens tumorem, emollientia adplicat. Sic increuit tumor, ſub enormibus doloribus, ad inſignem magnitudinem. Medicaſter, ſuppurationem ex voto factam credens, cauteria potentialia duo applicat, quorum alterum, hora XI. nocturna diei XXI. Dec. cutem perforauit, ſed loco puris tanta ſanguinis erupit quantitas, vt aegrotus et adſtantes, haemorrhagiam timentes lethalem, denuo ad Cel. TEICHMEYERVM, tanquam ad ſacram anchoram confugerent. Hic, ſedata haemorrhagia, altero die Exc. Dom. HILSCHERVM atque me, ad viſitandum aegrotum, in-

uitauit. Tumor tunc in sui medio, circa flexuram cubiti, latitudinem 8. vel 9. digitorum, longitudinem vero pede maiorem, habebat, latitudine enim sensim decrescente, paululum vltra medium humeri ascendebat, et vltra medium cubiti descendebat; cutis circa flexuram cubiti fusca apparebat. Consilio inito, sequenti die, XXIII. nempe Decemb. horis matutinis sectionem instituere decreuimus, quae sequenti modo peragebatur. Interiori et superiori humeri parti, proxime supra tumorem, itemque exteriori, duos cylindros ex linteaminibus conuolutos, quorum diameter minimum duobus, longitudo quinque digitis aequalis erat, ita applicui, vt minimum internus, tota sua longitudine, arteriae incumberet: obuoluto linteamine aliquoties duplicato, filum cannabinum crassius (Klaffter-schnur) bis laxe circumduxi, quod baculo ligneo contorsi. Explorato intus, ope styli aperturae per cauterium factae immissi, tumore, Cl. TEICHMEYERVS sectionem cutis instituebat, initio facto a dicta apertura, quae in cubito haerebat, et a flexura cubiti minimum tres distabat digitos. Continuata sectione in linea recta vsque ad condylum humeri internum, eadem ob tumorem in humero adhuc per quatuor digitos, secundum longitudinem humeri, in parte eius interna, extendebatur. A medio primae sectionis, versus condylum humeri externum, nouam sectionem instituere animus erat, sed non nisi per duos digitos continuari poterat, tendo enim musculi bicipitis ibi proxime cuti adhaerebat, et ab ossibus minimum tres distabat digitos, adeo vt nulla eius cum radio connexio, etiam post sanguinis coagulati euacuationem, obseruari potuerit. Sectione sufficienter facta, sanguis fluidus quidem, sed qualis ex venis prodire solet, effluxit, quo fluxu breui cessante, Cl. TEICHMEYERVS sanguinis congrumati et paululum foetidi minimum libras duas, partim digitis cauitati immissis, partim leni pressione externa, expressit. Adparuit tunc globus ex carne membranosus, superficiei inaequalis, arteriae adhaerens, diametri duorum digitorum. Hunc exploraturus, digitis paululum compressi, ex aegroto quaerens, num dolorem perciperet, quod cum aegrotus negaret, fortius pressi, et sic non solum ab arteria successiue secessit, sed et in tribus locis ruptus, sanguinem coagulatum dimisit. Omnibus sic ablatis, nuda arteria, non dilatata, cerni poterat, sed nullam eiusdem laesionem obseruare licebat, donec, laxata paululum humeri strictura, sanguis floridus cinnabarinus, per angustum foramen magno impetu prosiliret. Cognito sic loco laesionis, humerus denuo constringebatur, et Cl. TEICHMEYERVS frustulum vitrioli

cal-

calcinati loco laeſionis adplicabat: huic imponebatur charta emporetica maſticata, tota regio pulueribus ſtypticis conſpergebatur, reliqua cauitas linteamine carpto, puluere ſtyptico conſperſo, replebatur, chartae maſticatae ſplenia minora, dein ſucceſſiue maiora, imponebantur, donec ſufficiens altitudo adeſſet, vt faſciae circumduci potuerint. His quoque decenter applicatis, in lectum reponebatur aeger, ſed, laxata ſtrictura humeri, vbiuis per faſcias ſanguis floridus arterioſus erumpebat. Denuo hinc humero conſtricto, faſcias et ſplenia ſeparaui, et ſolam chartam maſticatam, liquore ſtyptico impraegnatam, ex communi conſilio adplicui, commendante Excell. HILSCHERO ad hunc vſum, prae reliquis, liquorem ſtypticum DIPPELII, reliqua incuruato prius paululum brachio, eodem ac antea modo, facta ſunt. Aegro in lectum repoſito, et laxata ſtrictura humeri, nihil per faſcias effluebat, faſciis vero liquor ſpirituoſus, ex ſpiritu matricali et aqua Anhaltina, affundebatur. Breui poſt lenis et mollis tumor in manu et digitis adparuit, digitos tamen aegrotus melius poſt operationem, quam ante eandem, mouere poterat. Pulſus, qui ante operationem celer erat, poſt eandem parcus quoque euaſit. Cura aegroti ſtudioſis medicinae, qui operationi adſtiterant, commendabatur, vt nempe qualibet hora epithemata humida, ex herbis balſamicis in vino coctis, adplicarent, et, quolibet bihorio, faſcias ſupra dicto liquore ſpirituoſo conſpergerent, atque medicamenta bezoardica et traumatica, ab Exc. TEICHMEYERO tradita, decenti tempore exhiberent. Proxima nox absque ſomno fuit, altero die ſitis vrgebat, pulſus erat celerior atque magnus, et tumor brachii, tam infra ligaturam quam ſupra eandem, maior atque durior, venae ſectio hinc in altero brachio inſtituebatur, et conſtrictio humeri omnis perfecte remittebatur. Altera nocte per aliquot horas dormiuerat aegrotus, foetor circa faſcias percipiebatur, pulſus adhuc erat celer, ſed tumor brachii minus durus. Veſiculae quoque quaedam pellucidae in dorſo manus et cubito erumpebant. Nocte tertia rurſus per aliquot horas aegrotus ſomnum viderat, inſomniis tamen agitatus. Sequenti die XXVI. nempe Dec. veſiculae ouo columbino aequales in vola manus videbantur, in quibus, poſt apertionem, gelatinoſa materia deprehendebatur, aeger vero foetorem brachii vlterius ferre non poterat. Eodem igitur iſto die mane conſtricto prius paululum humero inſtrumento iſto, a Dom. PETIT inuento, et a Dom. Garengeot, in ſuo tractatu de inſtrumentis chirurgicis, deſcripto, Gallis *Tourniquet* dicto, remouebam faſcias atque ſplenia, et effluebant

bant,tam ſanguinis,quam materiae purulentae iunctim circiter vnciae quinque. Cutis, quae poſt ſectionem flaccida erat, iam ſucco plena turgebat, optimi erat coloris, niſi quod alterum labium vulneris, ad tendinem vsque bicipitis facti, nigricaret. Dom. Conſil. Aul. TEICHMEYERVS, chartam maſticatam, arteriae adhaerentem, cum vltimo ſplenio arteriae adprimebat, vt tanto tutius cauitatem a ſordibus purgare poſſem, qua purgata, totam chartam maſticatam circum circa colophonio ſubtiliſſime pulueriſato conſperſi, cauitatem proximam linteamine carpto, eodem colophonio conſperſo, reliquam vero cauitatis partem, linteaminibus carptis, ſpiritu matricali impraegnatis, repleui, impoſitis denique dicto modo ſpleniis, faſcias adeo laxe circumduxi, vt circumvolutae tantum viderentur. In lectum aegro repoſito multum laxaui ſtricturam humeri, et nulla ſubſequuta eſt haemorrhagia. Vola quoque manus emplaſtris ſaturninis aliisque decenter tractabatur. Epithemata humida ſeponebantur, et faſciae tantum liquore ſpirituoſo conſpergebantur. Sequenti nocte aeger ſat bene dormiuit, ſub inſomniis tamen. Quinto a ſectione die tumor brachii notabiliter imminutus erat, et aeger non ſolum digitos, ſed et carpum mouere poterat. Quinta nocte ſat quiete dormiuerat aeger. Sexto die denuo abſtuli faſcias cum ſpleniis atque linteamine carpto, charta maſticata firmiter adhuc arteriae adhaerebat, quam dum Excell. TEICHMEYERVS digito arteriae adprimebat, totum vlcus a ſordibus purgaui, partem nigricantem, quae ſeſe ſeparauerat, a reliqua carne forfice amputaui, chartae maſticatae ambitum colophonio conſperſi, reliquae vero cauitati balſamum atque eſſentiam oculorum populi illiniui, eamque linteamine carpto, liquore dicto ſpirituoſo impraegnato repleui, ſpleniis atque faſciis decenter, leniſſime tamen, obduxi. Tendo bicipitis tunc in membranam expanſus adparebat. Sexta et ſeptima nocte optime quieuerat aegrotus. Septimo die cibum appetebat, alium vero quam hactenus, iuſcula nempe, non exhibuimus, et materia purulenta copioſe per faſcias prodibat. Octauo die, trigeſimo nempe Decembris, foetor erat enormis, et, ablatis linteaminibus, non ſolum tendo bicipitis nigricans atque corruptus ex muſculo tantum pendebat, quem Excell. TEICHMEYERVS forfice amputabat, ſed charta quoque maſticata ſponte iam ab arteria ſecedebat, quae vero, ob carnem recentem et bonam, circa eam concretam, nude vlterius, niſi in paucis punctis, haud apparebat, nec ſanguinem fundebat, tametſi humerus vix ſenſibiliter conſtrictus eſſet. Totam igitur arteriam

nouo

nouo conſperſi colophonio, nouam quoque chartam maſticatam, liquore ſtyptico Dippelii paululum impraegnatam, loco laeſionis impoſui, reliquaque, vti in tertia deligatione, inſtitui. Cum charta maſticata prima vice ſecederet ab arteria, veſtigium laeſionis in eadem nullum obſeruaui, ſequenti vero die, in loco laeſionis particulam corneam, ſub lentis magnitudine liuidam vidi, quam vero die V. Januar. cum denuo aegrum viſitarem, cernere vlterius haud potui, ſed tota arteria elegantiſſime carne tecta erat. Vitae periculo feliciter ſic, adiuuante ſummo Numine, ſuperato, Cl. TEICHMEYERVS reliquam conſolidationem ſolus rurſus ſuſcepit, qui quoque in peculiari diſſertatione totum caſum illuſtrabit.

Die Erkänntnis der Weißheit, Macht und Güte des Göttlichen Wesens, aus dem rechten Gebrauch derer Betrachtungen aller irrdischen Dinge dieser Welt, etc. i. e. Sapientia, potentia et bonitas eſſentiae diuinae ex legitimo rerum naturalium conſideratarum vſu cognoſcenda; ad conuictionem atheorum, et reuelationi diuinitus factae aduerſantium, plurimis figuris aeneis illuſtrata et ſuppeditata a BERNHARDO NIEVWENTYT, M. D. Cum praefatione Dom. CHRISTIANI WOLFII, Pot. Suecorum Regis, Haſſiae Landgrauii, Conſiliarii aulici, et Math. ac Philoſ. Prof. prim. Olim iam ex belgica lingua in gallicam et anglicanam translata, et quinta vice recuſa; iam vero, ob inſignem operis praeſtantiam, ad multorum deſiderium ex idiomate vernaculo in germanicum verſa, atque vtiliſſimis Indicibus aucta per GVIL. CONRADVM BAVMANN, V. D. M. Offenbaci. *Francofurti* et *Lipſiae*, apud *Joh. Pauli*, Librarium Amſtelodami, loco prius memorato impreſſum litteris *Broennerianis*, MDCCXXXII. 4to maiori. Alph. V. praefat. pl. 3. tab. aen. 28.

Immortalis huius operis mentionem hic facimus, quoniam ex operibus naturae deducta ſunt, quae inibi proponuntur, adeoque plurimam eius partem abſoluunt, quae ad ſcientiam naturalem dicuntur pertinere. Neque vero eſt, quod ipſa rerum pertractatarum argumenta delibemus, quum tanta ſit operis huius celebritas, vt fere omnium

omnium in manibus illud verſetur, quotquot penitiori naturae cognitioni litant. Sed de iis tantum in praeſentiarum lectores noſtros informatos volumus, quae circa nouam hanc editionem praeſtita fuerunt, quaeque noſſe illos iuuabit. Primum autem ſeſe nobis legentibus offert praefatio WOLFIANA, qua de commodo huius argumenti luculentiſſime diſſeritur, et, quî pro varia rerum naturalium conſideratione ad varia ſummi DEI attributa ratiocinandum ſit, ſuccincte docetur. Eadem hinc *Nieuwentytianas* curas debita laude proſequitur, ſimulque bene meritum de Germanis, linguae belgicae ignaris, pronunciat Cl. BAVMANNVM, quod inſtructus boni requiſitis interpretis, genuina nempe rei, quae tractatur, intelligentia, atque vtriusque linguae ſufficienti notitia, hanc vtiliſſimam operam nauauerit, et germanico etiam indutum habitu produxerit, quod belgico primum, anglicano poſt gallicoque veſtitum incedebat, opus. Alterum, quod huic editioni acceſſit, eſt *vitae Nieuwentytianae* curſus, cuius potiora momenta breuibus is ipſe recenſet, qui germanica ciuitate hoc volumen donauerat; exponendo de Auctoris aetate, obitu atque ortu, ſpeciminibus in matheſi, animo in philoſophiam Carteſianam, monumentis litteratis, et opere inprimis praeſenti, moribus, morbo, vltimis verbis et inſequenti morte. Idem porro praeclariſſimi ſcripti huius vtilitatem expendens, quaedam adhuc annotat; et tandem de ſua ipſius fide, quam in hoc opere transferendo haud dubiam vult, nos quam certiſſimos reddit; monendo inſuper, quod huic ſuo labori exemplar belgico ſubſtrauerit idiomate proſtans, quum nimirum multa, quae hic iam continentur, in anglicana gallicaque deſiderentur. Tertio, pro commodiori libri vſu, ad oram ſingularum paginarum lemmata, ſiue breuia argumenta ſunt adiecta. Quarto vocum, quae hinc inde occurrunt, earumque ſi non penitus, ſaltem vel plurimis ignotarum, dilucidatio ſubnexa eſt, ordine facto alphabetico. Atque hanc quinto triplex ſubſequitur index, primus hebraicorum graecorumque vocabulorum, alter locorum S. Scripturae; tertius denique rerum, hoc volumine contentarum. Caeterum vt intrinſecae libri bonitati ſatis hac ratione conſultum eſt: ita ne quid etiam externae decederet eius pulchritudini, et chartae et litterarum nitore cautum eſt.

I. Diſſert. inaugur. *de morbis ex immunditiis.* Praeſ. D. D. JOH. ZACHAR. PLATNERO. Reſp. JOH. GOTTLOB. WILD. Lommaz-Miſn. *Lipſiae* d. 4. Maji 1731. 4*to.* pl. 4. cum dim. Panegryn indixit D. D. MICH. ERN. ETTMVLLER programmate, quo peculiarem *ſcabiei* ſpeciem exponit. pl. 1.

II. Diſſert. inaugur. *de morte naturali.* Auct. LEOPOLD. FRIDER. LE CONTE, Montbelgardenſis, *Argentorat.* d. 29. Nouembr. 1731. 4*to.* pl. 4.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima quinta.

Norimbergae a. d. IX. APRILIS cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Etropoli ſcribunt, in publico, quem ipſo ſuae Nutricis Auguſtiſſimae natali, die nempe XI. Februarii, Imperialis ſcientiarum Academia celebrauerat, conuentu Dominum Doctorem et Profeſſorem GMELINVM ſermonem *de chemiae ortu ac progreſſu* recitaſſe, quo quid indagandae metallorum naturae chemia profuerit, quidque inde ad ipſarum particularum, corpora conſtituentium, cognitionem certi concludere liceat, demonſtrauerit. Dominum Profeſſorem EVLERVM Academiae nomine ipſi reſpondiſſe.

II. *Londino* nunciatur celeberrimum D. D. DILLENIVM, natione Germanum, qui inſignem ex *Flora Gieſſenſi* a ſe euulgata, acquiſiuit famam, ibique per aliquot iam annos degit, indefeſſo adhuc occupari ſtudio in elaborando *Pinace magni Theatri Botanici*, cui erudito labori tria, et quod excurrit, luſtra adeo impendit Cl. Autor, vt rei botanicae amatores opus olim haberent omnibus numeris abſolutiſſimum atque perfectiſſimum. Diem equidem, quo confectum dabitur, accurate determinare nondum licet: breui tamen ſecuturum fore, pro certo haberi debet. Verum prelo antea committet Dom. Autor nunquam ſatis laudandus *Deſcriptiones plantarum rariorum Horti Enthamenſis* iam elaboratas, quibus eas ſolum plantas exoticas, quae nemini adhuc innotuerunt, hinc in nullo, quotquot extant, operum botanicorum reperiundae ſunt, indicabit. De his ſane eo magis egregium ac plane ſingulare nobis

polliceri possumus, quo intensius quoque solertius Dom. Autorem in re botanica per multos iam annos sola excolenda desudasse, quaque in hunc diem magis exercenda satagere eum nouimus. Implebunt autem ad centum plagulas, chartae maioris, quam regalem vocant, nitide impressas, et proximo Julio mense lucem, vti spes est, videbunt. His accedent icones ab ipso solertissimo Autore, aeri incisae et accuratissime, prout omnino coniicere licet, delineatae, quarum iam CCCXX. paratas habet, quaeque peculiare conficient volumen. *Ibidem* Dom. JEBB, nouae, quam molitur, editionis operum celeberr. ROGERII BACONIS, ordini Discalceatorum addicti, et seculo XIII. in Anglia sub *Doctoris mirabilis* encomio cogniti, sciagraphiam typis euulgauit. Noua haec editio mediocre volumen, quod in folio nuncupatur, conficiet, et in duos dispescetur tomos: quorum vnus opera BACONIS, maximam partem mathematica et chimica, olim etiam impressa continebit: alter vero scripta eius adhuc inedita: quae hucusque in variis Angliae bibliothecis sparsim latuerunt manu exarata. Permultos confidit Dom. Editor eruditos, in voluendis aut perlegendis istis, fore miraturos, si ea, quae abhinc duobus seculis tanquam nouiter inuenta praedicari coeperunt, BACONI etiam innotuisse cognouerint. Totum volumen plagulas prope CXX. si bonam partem iconum aeri insculptarum excipias, implebit. Vendetur praenumerationis adminiculo, hacque lege, vt pro exemplari chartae minoris, vnus aureus anglicus, (*Guinée*) pro alio autem maioris formae, duplum soluatur: et dimidia quidem pretii pars statim ab euulgationis huius die, id vero quod restat, eo, quo liber traditur, tempore numeretur.

III. *Neocastro Heluetorum* nunciant, Dominum LVDOVICVM BOVRGVET, *Societ. Berolinensis Collegam*, professionem Physices et Matheseos inibi obtinuisse, eandemque auspicato nunc ingressum esse oratione, *de Matheseos et Physicae faris* pererudite habita, quam ad iteratas intelligentium preces luci publicae propediem exponet. Cuius Cl. Viri iam eximium in scientia rei naturalis documentum prostat, quod vel nuperrime *de formatione salium et crystallorum, generatione item et mechanismo organico plantarum et animalium, etc. vna cum commentatione telluris theoriam spectante*, gallico idiomate publicauit.

IV. *Regiomonte* curatissimam vasorum corporis lacteorum dilucidationem a JOH. CHRIST. BOHLIO perfectam, proximeque typis sub hoc titulo exscribendam referunt: *Γαλαξία corporis ani-*

animalis, occasione experimenti Gedani de ductu thoracico capti, examinata a JOH. CHRISTOPH. BOHLIO, M. D. Cuius scripti Cl. Auctor, vt ex nouis litterariis legere est, inuenta quaedam de villis intestinalibus et ipsa administratione anatomica in variis partibus dubia eruisse, diuersorumque problematum physiologicorum nodos ita, vt assensum mereantur, euoluisse praedicatur; quum praeterea noui huius inuenti aetatem ab Arabibus inceptam ad nostra rerum tempora deduxisset. Rarioris cuiusdam ductus thoracici, quam operi huic annexuit, figuram praesens ipse Gedani describendam curauit, quum non modo ductus illius, sed et totius lymphaticorum systematis iniectionem sua ipsius methodo felicissimoque successu perficeret. Jam dudum vero idem Cl. Auctor firmae voluntati, *vitae ac fatorum* FR. RVYSCHII edendorum, plurimumque nunc elaboratorum, non defuisset: nisi grauiorum rerum, quibus cum confligatur, conditio eidem isto conamine interdixisset. Nihil nimirum aliud, quam quod fide summo huic Viro data in se receperat, efficere connitetur, quippe cuius per quadriennium a manu fuit, non alia quam liberorum parentisque necessitudine coniunctus, ita, vt varias rerum, huic Viro propriarum, certasque rationes, quae auribus fere numquam aliorum haustae sunt, cognitas omnino perspectasque habere praesumatur.

V. *Ex Litteris Dom. JOH. CONR. GMELINI, Pharmacopoei Tubingensis ad D. D. EHRHARDVM d. 8. Jan. a. c. datis.* Nuperrime casus fortuitus *sperma mercurii per compendium obtinendum* offerebat. Ordinarius illud parandi modus ita se habet. Recipe aluminis vsti, nitri depurati, cinnabaris antimonii ana vnciam vnam, haec puluerisata solebam retortae committere, et huic vitrum cylindricum orificii amplioris (vulgo ein Zucker-gläßgen) aptare, atque deinde ex arena ope ignis per gradus prolicere albicantes quasi nebulas, drachmam vnam circiter liquoris siue spiritus, si mauis, fundentes. His euanescentibus augebam ignem ad summum gradum per horae spatium. Tribus horis elapsis totus processus absoluebatur. Fracta retorta in fundo monstrabat materiem albicantem ponderis vnius vnciae cum semissa, globulis quibusdam mercurii permixtam, quos pro mercurio reducto asseruaui. Circa medium et collum retortae sublimata adhaerebat materia mixti coloris, nunc lutei nunc cinnabarini. Huic collectae atque in cucurbitam minorem inditae superaffundebam aceti destillati vncias circiter duas, quod ad ebullitionem coctum, per filtrum traiiciebam. Post refrigerationem aceti ad fundum

descendebat, lateribus adhaerebat atque superficiei supernatabat, praecipitatum quoddam album, rarum atque leuissimum. Residuo in fundo cucurbitae relicto denuo affundebam acetum destillatum, et reliqua peragebam vt antea, quae toties repetebam, vsque dum acetum nil amplius extrahebat. Vltimum praecipitatum minus albescebat priori. Omnia haec praecipitata denique colligebam, ope filtri ab aceto separabam, atque ad solem exsiccabam, hacque ratione *sperma mercurii* ad drachmas duas obtinebam. Quae post extractionem remanebant, cum iis in retorta residuis pro reuiuificatione asseruabam. Vt autem nouam et breuioris viae methodum addam, scias illam me inuenisse *in turpethi mineralis* praeparatione occupatum. Soluebam scilicet mercurium viuum in aqua forti, huic solutioni, aqua pluuiali destillata (quam in omnibus hisce operationibus reliquis praefero, vtpote a peregrinis et heterogeneis particulis liberam) probe dilutae (experientia enim circa reliqua praecipitata me docuit, quo plus diluuntur, eo subtiliora euadunt) instillabam liquorem terrae foliatae tartari optime saturatum, quo summa animi voluptate videbam *sperma mercurii* ex candidissimis atque micantibus particulis conflatum, quod aqua pluuiali destillata vlterius edulcoratum in calore temperato atque lenissimo exsiccabam. Quum autem pondus me edocebat totum nondum praecipitatum, atque illud, quod filtrum transibat, ad manus adhuc esset, ex hac, praeuia deliberatione, ope salis enixi ipsum *turpethum minerale* hoc modo insuper acquirebam: addebam nonnihil spiritus vitrioli, sed nulla subsequebatur alteratio, superaddito vero oleo tartari per deliquium, praecipitatum acquirebam turpethum elegantissimo colore citrino praeditum, id ipsum quod quaesiueram. Notandum autem est, ne nimium olei tartari praedicti accedat, alias praecipitatum non citrinum, sed rubrum arcano corallino similem colorem exhibebit, quod mihi contigit, postquam aquam tertium decantatam atque filtratam denuo oleo tartari impraegnabam.

VI. Quum rerum naturalium scrutatores nondum consentiant, cuinam regno naturae *ambra grysea* adscribenda, vndeque ortus illius deriuandus sit, Dom. GVOLFG. FRID. DIETERICVS, Pharmacopoeus Norimbergensis celebris, operae pretium esse ratus fuit indicare, sibi a mercatore quodam (cuius nominis immemor est) iam ante aliquot annos oblatum fuisse magnum frustum ambrae, vna ex parte ambram genuinam, ex altera vero integros apum alueolos exhibens. Pretium ingens, quo aestimatum fuit, obstabat, quo mi-

nus

nus illud ſibi compararet, propriisque oculis intueretur. Fortaſſe alii pleniorem eius notitiam habent, vel poſſeſſorem indicare, ſicque antiquum errorem corrigendi occaſionem ſuppeditare poſſunt. Interim laudato Dom. DIETERICO valde probabile videtur, materiam ab apibus congeſtam ope aeſtus ſolis, ſalſedinis maris, aliorumque accedentium, in talem maſſam, qualem ambra exhibet, transmutari poſſe, quam opinionem conceptam ipſi confirmant complura experimenta aliaque obſeruata ex ambrae perluſtratione ſibi oborta, quae alio tempore, atque peculiari forſan ſcripto cum eruditis ille communicabit.

GEORGII CLACII, Med. D. Halen. **gründlicher Bericht von den balſamiſchen confortirenden** Polychreſt-**Pillen und wahren** Vniuerſal-Tinctur etc. i. e. Solida inſtructio de balſamico-confortatiuis Pilulis polychreſtis et vera Tinctura vniuerſali, quae, vt depurans et naturam roborans medicamentum, in quibuscunque ſonticis et pertinacibus morbis, externis etiam immedicabilibus exulcerationibus, cancro, fiſtulis, vlceribus ſcorbuticis (**Saltz-flüßen**) lippitudinibus ſummam exſerit efficaciam. Subiuncta prolixior informatio de rationali et ſecuriſſima methodo medendi Hecticae et Phthiſi. Cum valde deſideraretur publicata et notabilibus exemplis confirmata. *Hal. Mageb.* 1731. 4*to* pl. 12.

Tria hoc ſchediaſmate laudantur medicamenta, nimirum: *Pilulae balſamicae*, quarum vncia dimidia imperiali; *Tinctura vniuerſalis*, cuius vncia dimidia ducato; et *Panacea*, cuius drachma in 12. doſes diuiſa, ſimiliter ducato, venditur. Eadem vero de pilulis hiſce prolixius hic praedicantur, quae ſeculo hoc noſtro puluerulento-pilulari toties iam de pilulis Becherianis, fertiliſſima nempe ſimilium matre, Stahlianis, aliisque innumeris fere, ebuccinata ſunt, quarum pleniorem hiſtoriam meditatur D. D. J. C. GOETZIVS. Doſis earum maior quidem, quam iam iam memoratarum, forſan autem mole minores erunt. Saepius etiam cum eorum vſu ſociandus commendatur puluis quidam ruber Dom. Autoris, prout nempe et Ill. STAHLIVS, ac poſt illum alii, puluerem ſuum rubrum pilulis ſuis adiungunt. Speciatim denique in impuritatibus venereis mer-

curium ſuum fixum ſuamque tincturam vniuerſalem eis aſſociat, qua ratione ſine omni alio remedio et ſine ſaliuatione radicitus eas tolli aſſerit. *Tinctura vniuerſalis* omnibus proprietatibus verae medicinae vniuerſalis in depurando corpore et roborando vigore naturae gaudere, vniuerſum corpus penetrare, balſamum ſanguinis ab omni impuritate et heterogeneis per homogeneitatem, puritatem et fixitatem ſuam clarificare dicitur, quarum nempe et principii ſulphuris ſeparatiui ope cum ſimili ſanguinis principio combinata inſigniter ſeparat et depurat, ſicque actiones vitales viresque promouet. Mira inde praeſtare affirmatur, praeparato tamen prius per pilulas Autoris balſamicas corpore, in quibuscunque chronicis affectibus, quales ſunt lepra, achores, vlcera venerea, melancholia, venena, peſtis, cuiuscunque generis febres, apoplexia, hydrops, colica, epilepſia, aſthma, ſurditas, arthritis, podagra, contractura: porro vlcera dyſepulotica, ſcorbutica, lippitudines et defluxiones oculorum, fiſtulae, cancri, vlceraque pectoris fiſtuloſa; quin nullum tam atrox vlcus, quod non eadem et balſamo miraculoſo Autoris funditus et conſtanter ſanari queat. Ventriculum inſuper roborat, et digeſtionem adiuuat. Quid quod nullus nominari poſſit morbus, cui non citiſſime, certiſſime et tutiſſime medeatur ſeparatoria ſua et depuratoria virtute, morbis inprimis chronicis et habitualibus, in quibus omnibus aliis praecellit medicamentis. Sola tamen excipiuntur hectica et phthiſis; his enim expugnandis ſecum alia et probata Autori ſuppetunt media, de quibus ſuaque in illis methodo digreſſione prolixiori agit. Cum vero fuſius iam eam *in Nouis Litterariis Lipſienſibus et Balticis, Actis Medicis Berolinenſibus, et ipſo noſtro Anni prioris Specimine XLII. p. 329.* quin *peculiari tractatione* explicuerit, ei hic ſuperſedentes, quae vlterius de tinctura hac vniuerſali notanda, recenſemus. Doſis nempe eius gutt. X. XX. XXX. in vino Moſellano, aut alio aegritudini adaequato liquore, mane ieiuno ventriculo, et veſperi ſomni tempore, poſt ſolum ſumtum trihorio ante iuſculum, deglutiendae a minori doſi in chronicis inchoando, et ad maiorem ſucceſſiue progrediendo, eamque ad reconualeſcentiam vſque continuando, vitatis aliis medicamentis, et ſubiunctis diaeta laudabili, pilulis balſamicis, ac denique, pro ratione morbi, panacea Autoris. Haec enim, aſſerente eo, certiſſimum in conuulſionibus puerilibus, variolis mali moris retrogreſſis, affectibus pectoris infantum, catarrhis ſuffocatiuis, et contractura ſcorbutica eſt remedium. Cum his vero ſi quis conferre voluerit ſimiles a Dom. Autore *in Actis Medicis Berolinenſibus Decad. II. Vol. IV. p. 94. ſeqq.* ſulphuri antimonii aurato tributos

tos effectus, dosin etiam eius considerauerit, aliqua forsan ei lux circa Panaceae huius naturam affulgebit. Interim e ducentis notabilioribus insignis horum remediorum efficaciae exemplis facile adducendis tantum e personis honoratioris conditionis vna a cancroso vlcere periculoso, secunda ab vlcere cruris duodecennali, tertia a contractura diuturna, quarta ab hydrope, quinta ab epilepsia, sexta ab vlcere pectoris fistuloso, septima a surditate, octaua ab arthritide et insigni oculi defluxione, pluresque aliae ab his et aliis chronicis morbis et febribus liberatae allegantur. Ne quis autem nasutulus ex tincturae sapore vulgarem eam antimonii tincturam esse aestimet, tum peculiaris eius effectus, tum conditio prohibent. Copiosum quippe in ea purumque principium separatiuum per subiectum omnibus creaturis homogeneum et optimum, praesertim hominum balsamum vniuersale, singulis momentis spirando attractum, hic autem visibile redditum, concentratum, et ad summam puritatem et fixitatem deductum, ita modificatur, vt sub forma salina in omni liquore solubile, et cum spiritu vini tartarisato, vnde proprie eius sapor, in fixiori sua forma extrahi, sicque massae humorum, praesertim autem sanguini stricte sic dicto, applicari aptum euadat. Quapropter vnum ducatum centies se redemturum promittit, si quaecunque alia tinctura antimonii vulgaris eadem praestiterit. Monet denique, medicinam hanc vniuersalem nullatenus empirice, non habito respectu ad motus et materiam peccantem, aut sine omnibus aliis medicamentis, adhiberi; sed tunc plerumque, vbi motus naturae salutares ad materiam peccantem subigendam et eliminandam non sufficiunt. Ideoque vt, qui ea cum fructu vti voluerint, exactam sui morbi historiam transmittant, hortatur. O inuidendam itaque nostri, prae caeteris, seculi sortem, vbi infensissimi humanae sanitatis vitaeque hostes potentissimis facile debellantur et profligantur armis, vt potiori adeo iure de similibus, quam de saluia olim, quaeri possit: *Cur moriatur homo, cui saluia crescit in horto?* sed finimus hanc recensionem cum illo Poetae: *Non equidem inuideo, miror magis.*

Morbi mense Martio Norimbergae frequentius obseruati.

Morbi a systematis neruosi ac transpirationis alterationibus oriundi, et mense superiori annotati, adhuc grassantur. Febres catarrhales non omnes amplius aeque benignae sunt. Variolae denuo, quamuis saltem sporadice occurrunt. Grauidae complures terminum gestationis opinione longius proferunt.

Obſeruationes meteorologicae per menſem MARTIVM Anni 1732. *Noribergae* habitae a Dom. JOH. GABR. DOPPELMAIERO Math. P. P.

Dies ſtyl. corr.	Barometrum. Ped. Pariſ. dig.	lin.	ſcr.	Ped. Lond. dig.	lin.	ſcr.	Pedis Rhin. dig.	lin.	ſcr.	Thermom. gr.	part.	Ventus.	Tempeſtas.
I.	27.	0.	2.	28.	8.	2.	27.	11.	7.	3.	0.	O.	ſerena
II.		0.	7.		8.	5.		11.	11.	1.	0.	NNW.	ſerena
III.		2.	0.		9.	7.	28.	1.	4.	1.	½. cal.	W.	ſer. ſubſ. nub.
IV.	26.	10.	10.		7.	0.	27.	10.	2.	4.	0.	N.	ſeren. nub. plu.
V.	27.	0.	7.		8.	5.		11.	11.	4.	2.	NNW.	ſerena ſubſer.
VI.	26.	10.	10.		7.	0.		10.	2.	2.	0. tr	NO.	pernub. nub.
VII.		10.	3.		6.	5.		9.	7.	1.	0.	NW.	ſerena
VIII.		11.	7.		7.	7.		10.	11.	2.	0.	N.	pernub. pl. ſubſ.
IX.	27.	1.	0.		8.	8.	28.	0.	4.	6.	0.	NW.	nubila, pluuia.
X.	26.	11.	5.		7.	5.	27.	10.	9.	2.	0.	W.	pernub. et plu.
XI.		11.	7.		7.	7.		10.	11.	0.	0.	W.	ſeren. ſubſ. pluu.
XII.	27.	1.	11.		9.	6.	28.	1.	3.	1.	0.	NW.	ſerena.
XIII.	26.	8.	0.		4.	5.	27.	7.	2.	3.	0.	W.	plu. ſubſ. c. niue.
XIV.		5.	6.		2.	3.		4.	8.	5.	0.	W.	nub. plu. c. niu.
XV.		10.	6.		6.	7.		9.	10.	8.	0.	N N W.	nub. plu. et nix.
XVI.	27.	0.	9.		8.	6.	28.	0.	1.	10.	0.	N W.	ſubſ. plu. et nix.
XVII.	26.	10.	6.		6.	7.	27.	9.	10.	11.	0.	W.	nubila et pluu.
XVIII.		10.	7.		6.	8.		9.	11.	8.	0.	N.	nubila ſubnub.
XIX.		11.	2.		7.	3.		10.	6.	5.	0.	N W.	nubil. et pluu.
XX.		9.	2.		5.	5.		8.	5.	3.	2.	W.	pernu. nu. ſubn.
XXI.		4.	11.		1.	7.		3.	11.	4.	2.	W.	pern. plu. et nix.
XXII.		4.	4.		1.	2.		3.	5.	9.	0.	N O.	nub. nix et plu.
XXIII.		4.	2.		1.	0.		3.	2.	10.	2.	N N W.	nubil. cum niue.
XXIV.		7.	2.		3.	7.		6.	3.	12.	2.	N N W.	nubil. cum niue.
XXV.		8.	0.		4.	5.		7.	2.	12.	0.	N W.	ſubſ. nu. pl. nix.
XXVI.		5.	11.		2.	6.		5.	0.	11.	0.	N O.	nub. et pluu.
XXVII.		7.	8.		4.	2.		6.	10.	6.	2.	W.	nub. et pluu.
XXVIII.		10.	1.		6.	3.		9.	4.	5.	0.	N.	nubila ſubn.
XXIX	27.	0.	2.		8.	2.		11.	7.	4.	0.	N N O.	ſer. ſubſer.
XXX.		0.	7.		8.	5.		11.	11.	3.	0.	N.	ſerena.
XXXI.		0.	4.		8.	3.		11.	8.	0.	2.	N N O.	ſubſer. ſerena.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima ſexta.

Norimbergae a. d. XVI. APRILIS cIↄ Iↄcc XXXII.

I.



Nnus fere eſt, ex quo Dominum de CHIRAC ad primariam Chriſtianiſſimi Regis Archiatrorum dignitatem euectum eſſe retulimus; *(vid. Spec. II. p. 11.)* quem vero nunc ad Calendas Martias anno aetatis LXXI. fatis conceſſiſſe ſuis rerum Pariſienſium nuncii nobis memorant. Nimirum attentatus fuerat d. XXVII Februarii defluxione quadam in pectus, cuius vim nulla ſaepius iteratarum venaeſectionum brachii pedumque inſtituta ratio impugnare poterat. Dignum laude virum, et peritiſſima medicarum chirurgicarumque rerum experientia, et ſingularis morum humanitas, aliorumque commodis inſeruiendi ſtudium, ſincerique fides animi mori vetant. Quam reliquit haereditatem centenis aureorum Ludouicianorum (Louis d' Or) millibus, et quod excurrit, aeſtimant. Defuncti munia, quibus ſexageſies mille librae quotannis indultae ſunt, nemini adhuc alii collata legimus.

II. *Ex Litteris* D. D. JOH.SEB. ALBRECHT, *Coburgo d. 8. Mart. ad* D. D. GOETZIVM. Tandem vero communico Tecum quaedam cum ſucco Belladonnae facta experimenta, occaſione caſus tragici *in Comm. Litt. Spec. XLII. p. 332.* relati. Firmum enim, quod ego quidem iudico, ſuppeditant argumentum, quanto rerum naturalium effectus in corpore viuo differant ab iis, quos inſtituta per commixtionem corporum fluidorum extra corpus viuum experimenta proferunt. Quippe per hunc ſuccum in corpore viuo ſanguini motus fermentatiuo-rarefactiuus imprimitur, ita vt, quum accedente vi elaſtica vltra terminos vaſa extendantur, in extremas illo-

rum partes copiosius impellatur. Id quod non solum intumescentia, temulentia, atque alia, quae succum hunc imbibentibus contingunt, neque ab ebriorum statu quicquam abhorrent, et ipse sanguis ante os spumescens; sed acetum etiam, quod expertissimi iam dudum medici pro antidoto comprobarunt, vasa contrahens et spumescentiam sanguinis fermentatiuam compescens, satis eloquuntur. Jam vero facta cum succo extra corpus viuum experimenta aliter sese nobis ostentant. Neque est quod miremur, quandoquidem in viuo plures ille alterationes et mutationes ex admixtis aliis liquoribus, gastrico, bilis, pancreatico, prius subit, quam in chylum atque hinc in sanguinem deducatur. Quid? quod partes etiam solidae motus eiusmodi varie commutant, quod tamen extra corpus viuum nequicquam fieri poterit. Tantum vero abest, vt, quam breuibus descripsi, sententiam ylli obtrusam velim, vt potius aliorum iudicio maturiori examinatum totus relinquam.

Experimenta facta cum succo Belladonnae d. 22. Septemb. 1731.

I. Succus baccarum recentium, maturarum, expressus, coloris purpureo-violacei (Kirschbraun in etwas dunckelblau) mixtus cum aceto vini optimo, statim coagulatur, obscuriore reddito colore, nulla apparente actione fermentatiua. II. Hoc coagulum si agitetur, aut spatula lignea fortius prematur, resoluitur in floccos natantes in sero coloris purpureo-violacei, supernatantibus in superficie particulis albicantibus instar seri aut pinguedinis. III. Idem succus mixtus cum solutione cinerum clauellatorum statim, sine vllo coagulo, sine vlla actione, turbatione, sedimento, abit in colorem elegantissime caeruleum lintea eodem colore elegantissime; ast sine duratione tingens; exsiccata enim colorem magis dilute viridescentem oculis obiiciunt. IV. Succus baccarum earundem cum sanguine columbino calente adhuc mixtus, eundem statim mutat in coagulum obscurum, durum, instar parenchymatis (v. g. hepatis) quod veteres dixere, renitens. V. Idem fit si prius cum bile, et tunc demum cum sanguine misceatur, sed citius abit in putredinem quasi. VI. His coagulis 4. 5. affusum acetum vini, reddit illa magis obscura, nigricantia, tristia, lurida, in sero bruno natantia, separatis itidem particulis albicantibus, quasi sebaceis, in superficie liquoris, et ipso coagulo diuulso conspiciendis. VII. Coagula vero illa 4. 5. superfusa solutione cinerum clauellatorum, de duritie acquisita multum re-

remittunt redeunte colore laete rubicundo, feri colore vero mutato in virido-coeruleum cum acquifito lentore vifcido.

III. *Hamelii* Domin. LVDOVICVS SCHVMACHERVS Paftor ibidem fenior fchediafma publicauit in 4*to* pl. 1½. quo Phyfico huius ciuitatis Domin. ALBERTO FOERSTERO, fummos Medicinae honores capienti, gratulatur, et hac occafione Elegiam quandam ex 72. diftichis in laudes vicinarum *acidularum Pyrmontenfium* compofitam, hactenus vero in MSto delitefcentem publici iuris facit. Autor eius eft JANVS BESSA a FVSIS celebris Mathematicus feculi prioris, qui per decennium in femet ipfo vires huius fontis expertus eft.

D. D. JOH. CHRISTOPH. GOETZII obferuatio de partu gemellorum inaequalis perfectionis.

Femina XXXVI. annorum, vegetioris animi atque corporis, plurium liberorum mater, menfe Martio anni nuperrime elapfi puellam enixa eft perfectam et fanam, teneriorem tamen, cuius primum motum hebdomade decima tertia aut quarta, grauiditatis fenfit, quamque ex hoc tempore XXIII. adhuc feptimanis vtero geffit. Aquae praecedentes fuerunt perquam parcae, leues ac limpidae; fecundinae tenerrimae, qualis et funiculus vmbilicalis, admodum breuis et exiguus. Ab initio grauiditatis ad finem vsque ardore epigaftrii et fcrobiculi cordis afflicta eft. Abdomen primis menfibus inaequaliter tumuit; finiftro hypochondrio prae dextro multum magis eleuato, et linea quafi in medio diftinctum. Poft primum autem perceptum motum aequaliter et infigniter tumuit, et in dextro inguine peculiaris exortus tumor eft, pugnum aequans, furfum et deorfum mobilis, et herniae metum incutiens, cum rarae et vagae alicuius motitationis fenfu. Primo abfoluto partu lochia perparca, pro more quidem fuo fluxerunt, dolores autem infignes per illum et fequentem diem continuarunt, quos pro folitis alias fibi doloribus poft partum habuit; effluentibus etiam denuo, hora poft exclufum foetum dimidia, largis, luridis, e viridi flauefcentibus aquis. Tertio die mane ad defidendum ftimulata, fellaeque perforatae infidens, animaduertit, tumorem inguinis dextri, cum infigni dolore, atque ad lipothymiam fere vsque, auelli; per inguen tractu fuo dolorofo progredi; et tandem per pudenda egredi. Cu-

 ra-

ratius perſcrutans cum adſtantibus, quidnam hic ſubſit? en! molam, ſeu concrementum vterinum, conchae analogum, reperiit membranaceum et tenaciſſimum, quod vi diuulſum exhibuit inuolucra ſubtiliora cum ſimili funiculo vmbilicali foetus iisdem obuoluti. Maſculus ille fuit, vita carens, omnibus membris perfectus, ſed pedis longitudinem vix aequans, admodum gracilis, e viridi liueſcens, capite grandiori, vnguibus manuum pedumque conſpicuis; cuius brachia vltra capitis vtrumque latus extenſa, crura ad dorſum reflexa cernebantur. Illico autem, ſucceſſiue licet, in tabum colliquit, vt, poſt horam transactam, figura eius vix amplius cognoſci potuerit. Quapropter a naſutis mulierculis, me ordinario medico horum omnium neſcio, ſine mora ſepulturae committebatur. Prior natu puella, ſuperatis XIII. ſeptimanis, ſimiliter exſpirauit. Mater vero ad hunc vsque diem belle valet, nullis aut tumore, aut aliis moleſtiis reſiduis, ſolum ſi excipias ardorem praecordiorum, nonnunquam adorientem. Id denique adhuc notandum, foetorem aliquem cadauerosum, e faucibus aſcendentem, ipſo geſtationis tempore ſaepius ab hac femina fuiſſe obſeruatum, quem tamen neque maritus, neque alii, cum illa verſantes, obſeruarunt.

Vernunfft-mäßige Untersuchung des Bads zu Baden etc. h. e. rationalis diſquiſitio thermarum Badenſium earumque proprietatum et effectuum. Auctore JOH. JAC. SCHEVCHZERO, Med. D. Math. P. Acad. Imp. N. C. Adiuncto, Socc. Regg. Angl. et Pruſſ. membro. Cum et ſine figuris. *Tiguri* litteris Marci Rordorfii 1732. 4*to.* pl. 8½. titul. et Ded. pl. ½. cum tab. 2. in fol. *(conf. Comm. litt. Hebd. XIII. p. 99.)*

Viris de re naturali bene merentiſſimis, vni D. D. JOH. HENR. ERNDTELIO, Auguſtiſſimi Poloniarum Regis atque Electoris Saxoniae Archiatro; alteri D. ALBERTO SEBA, Amſtelodamenſium Pharmacopoeo famigeratiſſimo, hasce paginas inſcripſit clar. Dom. Autor. Pauca in prooemio de cauſis praefatus, quae animum induxerunt, vt hanc materiam ſumeret exactius perſcrutandam, primam atque praecipuam eſſe fatetur ſui ipſius, quo flagrat, deſiderium miracula naturae penitius experiundi, ſiue, quod hominem chri-

christianum magis decet, infinitam benignissimi Creatoris in operibus a se conditis, praedicandi atque concelebrandi potentiam et sapientiam. Alteram coepti instituti rationem esse balnei huius soterii famam, inde a Romanorum temporibus, efficacissima virtute sua, quam in sanis pariter atque aegrotantibus innumeris comprobatam dedit modis, sibi conciliatam, hinc per totum orbem celebratissimam. Accedit imperfecta omnium, quot de his thermis prostant, descriptionum elaboratio, qua vix corticem tetegisse, nedum nucleum quaesiuisse, Editor animaduertitur. Ceteris magni momenti rationibus non parum addidit ponderis ea, quae celeb. Dom. Autori inest, animi integritas studiumque aliis inseruiendi, praesertim iis, qui eodem ac ille funguntur munere, veramque ingredientium huius balnei qualitatem illis exponendi, eosque praeterea ad firmanda aut melioranda animi sui sensa excitandi, eo fine, vt sanis aeque ac aegrotantibus salutari quisque consilio, quouis modo succurrere possit. Sub finem Dom. Autor beneuolum lectorem circa icones monendum vult, eas Augustae Vindelicorum ad picturam authenticam Dom. Füslini, artis pingendi egregie gnari, Tigurini, aeri accurate incisas esse. His praemissis, Dom. A. ipsam thematis tractationem eleganter conscriptam, orditur ab ineffabili atque immensa supremi Numinis bonitate, qua nobis mortalibus non vitam tantum, verum etiam media, tum ad illam in statu integro seruandam, tum a variis aegritudinibus afflictam atque periclitantem, redintegrandam facientia, atque ex triplici naturae fonte largiter haurienda, benignissime concessit: cui immortales vt habeamus gratias, laudesque sempiternas dicamus, nostrae esto pietatis atque obsequii. Sicubi autem haec infinita DEI clementia abundantissime aduertenda est atque cognoscenda, certe in Heluetiae tractu mirari illam decet ac venerari, vtpote quo montes hiant fontibus dulcissime scatentibus, et aquas ab iis stillantes crystalloque puriores, per multos vallium anfractus, instar amnium largissime profluere sinunt. Quem fortunatum Heluetiae statum iuxta et alias, quibus illa abunde gaudet, felicitates optime comparari posse censet Dom. A. cum illo, quem Moses *Deuteron. XI.* 10-12. populo DEI terram sanctam inhabitaturo, praedicat atque commendat: de quo autem alibi, plenius se egisse indicat. Hos inter diuites aquarum thesauros, quos Heluetia vbertim non voluptatis sed publici vsus gratia, in se habet reconditos, iure numerantur minerales et soteriae aquae: de quarum salubritate et praestantia, antequam seorsim loquatur D. A. generalia quaedam de thermis et aquis mineralibus praelibare consultum duxit momen-

ta. Maximam morborum, quibus Heluetiae incolae tentari ſolent, partem, ab aere frigido, humido et mutabili ortum trahere monſtrat; quibus addit victum huiusmodi incolis proprium, a quibus circulus ſanguinis non parum turbari, multum etiam viſciditatis atque obſtructionis inde generari neceſſe eſt; quibus autem ſanitatis detrimentis, tempeſtiue arcendis et prohibendis nullus ſalutarior atque certior modus praeter vſum aquarum mineralium, partim in balneis, partim in potu adhibitarum, hactenus nequiit excogitari, neque efficacior deprehendi. Vt autem vſus earum proſit, non tantum requiritur, vt ad morbi indolem probe attendatur et cognoſcatur, verum etiam ipſius, quod adplicandum eſt remedii, notitia pateat: Atque illud heic loci aqua audit, cuius particulas ingredientes accurate noſcendas chemia edocere equidem debet; aſt non ſola haec praeſtare valebit experimentis ſuis per ignem factis, niſi coniuncta vbique fuerit ſano ratiocinio atque iudicio probe ſubacto. Quibus neglectis, error vt plurimum committitur in diſquiſitione aquarum facilis atque familiaris, quo vel nimium adſcribitur particulis aqueis quod tamen calori earum rectius debetur, vel minerae in illis quaeruntur, nunquam inibi extantes; adeoque entia in cerebro finguntur, in rerum natura nullibi reperiunda. Legitimum praeterea thermarum vſum pendere monſtrat D. A. in recta adplicatione agentis ad patiens, remedii ad morbum. Neglecto etenim diſcrimine temporis, morbi, ſubiecti, huiusque aetatis, ſexus, vitae generis, fit vt experimenta per mortes fiant, et quadrata miſceantur rotundis; His praecauendis autem medicus ingenuus et cordatus ſtudeat, ſedulo conſignandis et ſalutaribus et ſiniſtris thermarum effectibus, iisque deſcriptioni ſuae, quam edere animo habet fideliter inſerendis; aut quod melius eſſet, notandis obſeruationibus, ſingulari ſtudio circa neceſſarias aetatis, ſexus, anni temporum, morbi circumſtantias, habitis, et ratiociniis ex Philoſophia moderna, medicina item mathematico-mechanica deſumtis, corroboratis. Iure igitur heic inuehit Dom. A. in negligentiam eorum, qui prope thermas habitant, et per multos iam annos medicinam ibi fecerunt, nihil tamen ſcriptis conſignant. Pergit hinc Dom. A. prolixe afferendo ea, quibus aquae minerales prae aliis ſe commendant. Prius autem, quam hoc agit, nodum hic euoluendum eſſe cenſet, ſcrupulumque illis eximendum, quibus ſubnaſci poteſt, ſi viderint canales, per quos aquae ducuntur, vt plurimum terra quadam incruſtatos, hincque talia etiam in ventriculo euenire poſſe aut debere ſibi perſuadentes, vſum earum damnant. Sed easdem particulas ter-

reas

reas, a quibus ſalinae et ſulphureae antea ipſis bene mixtae, nunc per exſiccationem in aura auolarunt, tantum abeſſe monſtrat D. A. vt ventriculum obtegant, ipſique obſint, vt potius digerentium et abſorbentium medicamentorum vices ſubeant, et ventriculo praeparando egregie inſeruiant atque proſint. Commendant ſe praeterea aquae minerales eo, quod inter ſimplicia optimo iure referri, multoque certius adhiberi queant ac medicamenta ex pluribus, quandoque ſibi contrariis, compoſita. Gaudent porro prae aliis medicamentis, ex herbis aut ſpirituoſis volatilibus praeparatis, hac praerogatiua, quod durabiles exiſtant, nulli corruptioni obnoxiae ſint et quouis anni tempore haberi queant:quum illa ex aduerſo procedentibus annis vires ſuas amittant; et certa tantum anni tempeſtate colligi et parari debeant. Quoad quantitatem in vſu attendendam, aquae minerales prae aliis potionibus medicamentoſis arte paratis, hoc quoque habent, quod ſine faſtidio vel nauſea ad plures menſuras potari poſſint; eoque magis conducant in quantitate aſſumtae, quo plus requiritur ad eluendas et expurgandas ſordes in ventriculi et inteſtinorum plicis pertinacius haerentes. Habent et hanc prae aliis virtutem, vt intus propinatae, et extus adhibitae, in morbis praeſertim chronicis, quos *cruces medicorum* D. A. nominat, ſalutarem praebeant effectum, morbosque profligare valeant, longo quidem vſu, aſt ſine vllo, vel aegrotantium incommodo, vel medici opera multum impendenda. Denique et illud aquas minerales non parum commendare debet, quod ſanis praeſeruando, aegrotantibus medendo optime conducant. His aquarum mineralium, quibus generatim gaudent, proprietatibus et viribus expoſitis, nunc ad thermas et aquas ſoterias Badenſes redit D. A. ſpeciatim de iisdem explicaturus; atque primo *de ciuitate Badenſi* eiusque antiquitatibus refert, quae primordia ipſius, incrementa, ſimul et varia, quae ob variorum dominiorum viciſſitudines, bellaque inde geſta, perpeſſa eſt decrementa, vsque ad illud, quo foedus cum ſociis Helueticis iniit, tempus, attinent. Secundo *de Comitatus Badenſis* territorio, iurisdictionibus, reipublicae forma etc. quaedam ex archiuis depromta enarrat. Tertio *de ſituatione thermarum*, domiciliis balneorum, aliisque aedificiis publicis, item diuiſione balneorum ſermonem inſtituit: poſtea in cauſas caloris thermarum phyſicas inquirit, ſimulque mineras in aquis Badenſibus contentas eruit, easque ſulphur, alumen et nitrum eſſe indicat, ita ſibi inuicem mixta, vt quintam partem alumen, decimam nitrum, et reliquum ſulphur conficiant: quanquam haec mixtio ita praeciſe affirmari nequeat, dum collatis experimentis pluribus

ribus annorum interuallis factis, varietas quaedam euinci possit. Subnectit varia experimenta ex duodecim praecipuis aquarum receptaculis, varie capta, quae in adiecta tabula exposuit, distincte perquam consignata, vt conuenientia illorum hinc adpareat: sunt autem facta cum solutione gallarum, succo violarum, solutionibus aluminis, veneris, iouis, lunae; iniectione salis tartari atque solutionibus mercurii sublimati et sacchari saturni. Pergit clar. Dom. A. in hoc negotio, quo qualitates aquarum et thermarum Badensium vlterius exploratas exhibet, in auxilium vocatis experimentis ponderatione et coctione earum, sedimentorum analysi, et euaporatione, factis, e quibus tandem obtinuit sal, cuius accuratam suppeditat descriptionem, quoad figuram externam et vires, quas, interne sumtum, ad indolem salium neutrorum, in corpore humano exserit; de quibus testantur D. D. CONRADI GESNERI experimenta in se ipso facta et heic allata. Huius salis comparationem instituit cum sale Sedlicensi, Anglicano et communi, eamque in peculiari tabula sistit. Et postquam de aquarum, e fontibus in balnea quotidie fluentium quantitate certe stupenda computum fecit, ad virtutes thermarum sigillatim enumerandas se accingit, morbosque cuiuis aetati sexuique proprios nominat, quibus profligandis vsus earum potenter prodesse valet. Subiungit Dom. A. modum iis recte vtendi, qui in praeuia corporis praeparatione consistere debet: meminit insuper congrui anni temporis, item diei, horarum, et quot cuiusuis aetatis vel temperamenti subiectis pro insessu sufficiant, praescribit: ordinem certum in iis seruandum monet, et quomodo balneandum, quodque regimen circa res non naturales seruandum sit,, fideliter aperit. Epilogum faciunt piae ac supplices ad DEVM preces atque vota: quibus postremo loco, *praecepta siue leges communes balneandi*, 11. distichis latinis concinnata addit.

LIBRI NOVI.

I. Traité de l'organe de l'Ouie, i. e. tractatus de organo auditus, continens structuram, vsum et morbos omnium partium auris. Auctore D. DV VERNEY, Academiae Scientiarum socio, Consiliario et Medico Regis ordinario, nec non Professore anatomiae et chirurgiae in horto regio plantarum. Noua editio *Lugduni Batauorum* apud Joh. Arn. Langerak 1731. 12*mo* pl. 9. cum dimid. c. tab. XVI. Prima editio prodibat Parisiis apud. Steph. Michalet 1683. in 12*mo* In latinam linguam a b. D. TOB. WINCKLERO, Antistite Norimb ad D. Mariae versa anno sequenti Norimb. impensis Joh. Ziegeri imprimebatur in 4*to*.

II. Dissert. inaugur. *de affectibus aut defluxionibus catarrhosis* Praes. D. D. LEONH. FERD MEISNER Resp. ANTON. IGNAT. WECKHER Morau-Iglau. *Pragae* 1731. 4*to* pl. 16.

COMMERCII LITTERARII AD REI MEDICAE ET SCIENTIAE NATVRALIS INCREMENTVM INSTITVTI

Hebdomas decima ſeptima.

Norimbergae a. d. XXIII. APRILIS cIↄ Iↄcc*XXXII.*

I.



E *Chemia Boerhaaueana* typis exſcribenda bibliopolae noſtratium Germanorum certare ſecum videntur, inuitati forſan gloria nominis *Boerhaaueani* iam inter gentes celebratiſſima. Iis enim, quorum *Hebdomade VII. p. 49* mentionem fecimus, nunc quoque *Lipſiae Caſparus Fritſchius* accedit, qui tamen caeteris hac de cauſa praeferendus eſt, quod, dum non ſibi ſolum, ſed et rerum medicarum ſtudioſis hinc prouiſum vult, praeter ea, quae ad ipſam operis rationem pertinent, commodioris etiam vſus eiusdem curam gerere pollicetur. Litteras, nouis inſcriptas typis, chartae ſimul puriori curabit imprimendas; totumque opus in tres ſectiones aequales diſtinctum abſoluet. MSSCC. chemicorum graecae latinaeque linguae rariorum index aucto numero prolegomenis inſeretur: neque minus, quonam gentium codices manu exarati lateant, curatiſſime deſignabitur. Omnia porro loca, quae ex hiſtoria commentariisque Academiae Scientiarum Pariſienſis, *quarta* forma editis, paſſim allegantur, ad Belgicam editionem, *duodecima* publicatam, reducta deprehendentur, quum ea et in pluribus Germanorum bibliopoliis, et pretio multo viliori proſtet. Vtque caetera ſileantur, quae in ipſa hac editione Lipſienſi beneuolo lectori ſeſe demum offerent, non poſtremum locum emendatus correctusque ordo indicum obtinebit. Neque vero tantum Boerhaaueana chemia, ſed quaecunque huius auctoris rerum medicarum opera, nouo Belgarum ſtudio promulgata, lucem hanc aſpicient, lectorum oculis, indulto Regis Polouiarum et Saxonum Electoris priuilegio munita ſeſe ſiſtent.

Venibunt ex promiſſis Fritſchii modico iuſtoque pretio: cuius rei cauſa tria illa chemiae volumina, octauae formae, quae iam intra menſem prelo eximentur, duobus thaleris imperialibus licebunt.

II. In Actis Eruditorum Lipſiae 1731. publicatis (vid. Hebd. IV.) porro continentur: *Menſ. Julio*, XXII. Commentarii academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. II. p. 297. *conf. Specim. XXXV. p. 275. ſeqq.* XXIII. Receuil de literature, de philoſophie et d'hiſtoire, h. e. collectanea litteraria, philoſophica et hiſtorica. *Amſtel.* apud Franc. Honoratum, 1730. 12. mai. pl. 8. p. 343. Quem tractatum propterea allegamus, quod epiſtolam continet Ill. LEIBNITII de barometris. *Menſe Auguſto:* XXIV. FRANCISCI TORTI, Phil. et Med. D. Mutinenſis, in patrio Lyceo Profeſſoris primarii, Sereniſſ. Raynaldi I. Mutin. Reg. Mirand. etc. Ducis medici, a conſiliis Quatuor-virorum publicae valetudinis, et Soc. Reg. Londinenſis ſodalis, therapeuticae ſpecialis ad febres periodicas pernicioſas. Editio altera auctior. *Mutinae* ap. Barthol. Solianum, 1730. 4. alph. 3. pl. 5. p. 371. (Prima editio, cui titulus: therapeutice ſpecialis ad febres quasdam pernicioſas, inopinato ac repente lethales, vna vero china china, peculiari methodo miniſtrata, ſanabiles. *Mutinae* ap. Barthol. Solianum 1712. 4. alph. 4. pl. 4. in his ipſis Actis A. 1716. p. 220. recenſetur.) In hac editione quaedam addere, plura delere, Auctori viſum eſt: vnde huius auctioris editionis moles priori minor euaſit. XXV. Febrium continuarum, quae A. 1729. Vratislauiae graſſatae ſunt, recenſio JOH. GODOFR. HAHN etc. p. 372. (*conf. Spec. XXVI. p. 202.*) XXVI. Elementorum medicinae phyſico-mathematicorum Tom. I. Auctore JOH. FR. SCHREIBER etc. p. 375. (*conf. Spec. L. p. 397.*) XXVII. FRANCISCI MARIANI, Viterbienſis, de Etruria metropoli, quae Turrhenia, Turſenia, Tuſcania, atque etiam Beterbon dicta eſt, in varios Auctores caſtigationes. Additur de Epiſcopis Viterbienſibus parergon. *Romae*, ex typographia Hier. Mainardi, 1728. 4. alphab. 1. pl. 17. tabb. aen. 2. p. 382. cuius tractatus ideo hic mentionem facimus, quoniam aquarum calidarum pernicioſarum atque ſalubrium rationem ſimul habet p. 386-389. *Menſe Septembri:* XXVIII. Nonnulla hiſtoriam litterariam medicam ſpectantia producuntur ex P. de COLONIA Hiſtoire litteraire de la ville de Lyon, i. e. hiſtoria litteraria ciuitatis Lugdunenſis, vna cum bibliotheca Auctorum Lugdunenſium, tum ſacrorum tum profanorum, pars altera ſeu poſterior, *Lugduni in Gallia* apud Franc. Rigalettum, 1730. 4. maior. alph. 4. pl. 16. tab. aen.

aen. 1. p. 393. Quorſum etiam pertinent XXVIIII. Memoires pour ſeruir a l' hiſtoire etc. h. e. commentarii hiſtoriae celeberrimorum in rep. litteraria virorum inſeruientes. Accedunt catalogi librorum a ſingulis ſcriptorum, de iisque iudicia. Tom. X. XI. XII. et XIII. *Lutet. Pariſ.* ap. Briaſſonium, 1730. 8. alph. 4. pl. 14. p. 399. XXX. JOH. PHIL. BREYNII etc. hiſtoria naturalis cocci radicum tincto-rii etc. p. 406. (*conf. Spec. LII. p. 413.*) XXXI. Noua litteraria ex Hiſpania; quorum in numero ſunt: 1) Anatomia compendioſa, i noches anatomicas, por el Dr. D. MARTIN MARTINEZ. En *Madrid* por Lucas Antonio de Bedmar. A. 1717. 4. 2.) Medicina ſceptica, i cirugia moderna con un tratado de operaciones Quirurgicas. Tomo I. por el Dr. D. MARTIN MARTINEZ medico honorario de la familia del Rei nueſtro Sennor, Profeſſor de anatomia etc. Segunda impreſſion annadida con una apologia del R. P. M. FR. BENITO FEIJOO. En *Madrid* por Geronimo Rojo. A. 1727. 4. 3) Medicina ſceptica. Tomo ſegundo. Primera parte apologema en favor de los medicos ſcepticos. Segunda parte apologema contra los medicos dogmaticos en que ſe contiene todo el acto de fiebres por el Dr. D. MARTIN MARTINEZ. En *Madrid* A. 1725. 4. *ſine typographi nomine.* 4) Anatomia completa del Hombre con todos los hallazgos, nuevas dotrinas, i obſervaciones raras haſta el tiempo preſente, i muchas aduertencias neceſſarias para la cirugia ſegun el metodo con que ſe explica en nueſtro Theatro de Madrid, por el Dr. D. MARTIN MARTINEZ. En *Madrid* por Bernardo Peralta, A. 1728. 4. 5) Filoſofia ſceptica. Extracto de la Fiſica antigua, i moderna, recopilata en dialogos, entre un Ariſtotelico, Carteſiano, Gaſſendiſta, i Sceptico, por el Dr. D. MARTIN MARTINEZ. En *Madrid* A. 1730. 4. *additur character naturalis Martinezii.* 6.) Lithoſtatica, o theorica, i practica de medir piedras precioſas, compueſta por D. DIONYSIO MOSQVERA, artifice de obras de oro, i taſador de Joyas. En *Madrid* por Franciſco del Hierro, A. 1721. 4. 7) El mundo engannado por los falſos medicos. Diſcurſos del Dr. JOSEF GAZOLA Verones, medico Ceſareo i academico aletofilo. Obra poſthuma traducida fielmente del Toſcano. En *Valencia* por Ant. Bordazar, A. 1729. 8. Recuſus hic libellus A. 1730. *Hiſpali*, nunc tertium imprimitur *Valentiae.* Qui verſionem hanc Hiſpanicam adornauit, GREG. MAIANSIVS, idem quoque auctor eſt dedicationis ad medicos, praefationis ad lectorem, et cenſurae libelli. p. 432. *Menſe Octobri.* XXXII. Amoenitates litterariae, quibus variae obſeruationes, ſcripta item quaedam anecdota, et rariora opuſcula exhibentur. Tom. XII.

 XIII.

XIII. et XIV. *Lipſ.* et *Francof.* ap. Dan. Bartholomaei et filium, 1731. 8. alph. 2. pl. 17. Tomus XIII. elogium illuſtris nobilisque Viri LVCAE SCHROECKII, Auguſtani, etc. continet. p. 467. XXXIII. angenehme, curiöſe und nützliche Nachrichten von phyſical- und medicinaliſchen, auch dahin gehörigen Kunſt- und Litteratur-Geſchichten. i. e. miſcellanea phyſico-medico-mathematica, collecta a D. ANDR. ELIA BüCHNERO etc. p. 483. (*confer. Hebd. VI. p. 48.*) *Menſe Nouembri* nihil. *Menſe Decembri* XXXIV. Philoſophical Transactions, h. e. Transactiones philoſophicae, quibus referuntur molimina, ſtudia et labores virorum ingenioſorum noſtri temporis in variis orbis partibus. Volumen XXXIII. pro annis 1724. et 1725. *Londini* ap. W. et J. Innys, 1726. 4. alph. 2. pl. 14. tabb. aen. 13. p. 552. De iis, quae ad A. 1724. referuntur, acta haec anno ſuperiori expoſuerunt p. 411. ſeqq. atque adeo hic tantum recenſentur, quae ad An. 1725. pertinent; ex quibus haec nobis memoranda veniunt: N. 386. pro *menſibus Januario et Februario*, 1) JOH. RANBY, chirurgi, variae obſeruationes ex ſectione oſtreae. N. 387. pro *menſibus Martio et Aprili*, 2) PAVLI DVDLEII hiſtoria naturalis balaenarum, ac imprimis eius ſpecie, quae vulgo ſperma ceti appellatur. 3) JOH. RANBY de ductu excretorio glandulae renalis *Valſaluae.* 4) MAVRITII ANTONII CAPPELER, Medici Lucernenſis, prodromus cryſtallographiae, qui Lucernae 1723. 4. prodiit. N. 388. pro *menſ. Maio et Junio*, 5) ISAACI RAND catalogus quinquaginta plantarum exoticarum, ſocietati Regiae oblatarum. 6) NETTLETON obſeruationes de altitudine barometri in diuerſis eleuationibus ſupra ſuperficiem terrae. N. 389. pro *menſ. Julio et Auguſto*, 7) CAROL. (forte CASP.) NEVMANNVS de camphora ex noſtrati thymo. 8) GEORG. GRAHAMI experimenta, ope acus magneticae inclinatoriae A. 1723. inſtituta. 9) JOSEPH. ATKINSON deſcriptio tumoris ſingularis. 10.) DESAGVLIERII experimentum de globorum plumbeorum cohaeſione. 11) STEIGERTAHLII deſcriptio naeui materni ſingularis. N. 390. pro *menſ. Septembri et Octobri*, 12) JOH. PHIL. BREYNII diſſertatiuncula de agno vegetabili Scythico, *Boranetz* vulgo dicto. 13) JOH. BROWN animaduerſiones quaedam in ea, quae de camphora docet NEVMANNVS. 14) JOSVAE WASSII deſcriptio effectuum fulguris ſingularium. 15) MVSSCHENBROECKII epiſtola ad DESAGVLIERIVM, qua deſcribit experimenta de viribus magneticis. 16) HVXHAMVS de variolis anomalis epidemicis. N. 391. pro *menſ. Nouembr. et Decembr.* 17) NEVMANNVS de falſo et fallaci experimento probandi ſpiritum vini gallici

lici. 18) ROB. PAYNE deſcriptio ſymptomatum productorum a furca per anum infelici caſu in inteſtina immiſſa. 19) DAN. TVMERVS de inſectis duobus in caſibus per vrethram emiſſis. XXXV. Semeſtre prius inſtituti noſtri p. 558.

III. *Ex Litteris D. D. GEOR. FRIDER. GVTERMANNI ad D. D. JOH. CHRISTOPH. GOETZIVM datis.* Transmitto liquorem paratum ex reliquiis ciborum, cum variis accedentibus e C. H. ſaniſſimo, pane praecipue nutrito, humoribus remixtis. Proceſſum ipſum proxime traditurus. Cum ſit ex cenſu ſalium volatilium, ſudoremque moueat hoc medicamentum, facile cognoſces, Vir Cel. hoc materiae podagricae ad articulos depoſitioni atque per cutis ſpiracula eiectioni fauere. *Carlii* vero liquor, ſi recte memini, teſtibus duobus Comm. Litt. (quod Memmingae diu iam in bibliopegae manibus, adeoque iam non ad meas eſt) ſpeciminibus ad claſſem acidorum ſpectat, motusque, vti excedentes, ita quoque placidos atque neceſſarios ſuſpendere potis eſt, ceu ſedatiuum, quo titulo ipſi quoque Exc. D. Auctori venit. Ex omnibus quidem antarthriticis probatiſſimum mihi videtur decoctum Viennenſe, quod largiter potum tam fixae, quam vagae, debellat paucis diebus paroxyſmum, ſed idem diuturnam poſt ſe relinquit membrorum laſſitudinem atque debilitatem, ita vt doloribus licet ablatis, lectum tamen deſerere nequeant impotentes. Sed neque hoc quamuis ex praeſcripto ſtrenue vſurpatum arthritidem plene tollit, ante annum enim, et quod excurrit, obſeruaui, in viro iuueni, qui ex itinere, tempeſtate nebuloſa, pluuioſa et frigida facto, vagam contraxerat, paucis poſt potum decocti Vienn. diebus repetiiſſe dolores, qui quidem adeo acerbe, ac ante vſum decocti, atque tam diu ipſum non cruciarunt, quaſi impetu ac viribus cauſae morbificae fere infractis. Durauit etiam ab vſu huius potus ſudor continuus diurnus nocturnusque, corpus vere colliquefaciens itidem moleſtiſſimus, quem iulapiis, dein emulſionibus, et temperantibus imo et ſubadſtringentibus ad preces aegri refraenare oportuit. Praetor huius loci, ſenex 66. annorum, 14. filiorum et 3. filiarum, omnium ſuperſtitum, parens, vir admodum venerabilis, parente podagrico natus, veneni inſtar medicamenta quaecunque, ſi podagrae opponenda commendantur, auerſatur, contentus ſcarificationibus bimeſtribus ac venae ſectione vernali et autumnali in metacarpo: nam obeſitas et in brachiis et in pedibus venas viſui tactuique dudum iam ſubduxit. Is ſatis regularem experitur podagram, ac fere aeque cito ſine vllis remediis conualeſcit, neque diae-

tae et vel parumper ſolicitae ſeſe adſtringit tam in animi motibus, quam in cibo et potu. Podagram ſuam etiam praeſentem adeo non curat, vt nunquam a nundinis Francofurtenſibus illa arceri ſe paſſus, ſed potius artubus adhuc tumidis ſtandi ambulandique impotens in rhedam deportandus curſuque publico vehendus illuc fuerit, praetendens, ſemper euanuiſſe podagram, priusquam Francofurtum peruenerit. Dum haec ſcribo nunciatur mihi b. obitus filii ipſius natu maximi, annor. 43. mercatoris Auguſtani. Is pariter ante tredecim iam annos podagram tulerat, ſed ante annum ad eam deuincendam potui aquae fontanae, pauxillo vino maluatico correctae, hactenus ſeſe dederat, hoc menſe vero morbo acuto caput potiſſimum infeſtante correptus fuerat. Pridie demum parens impenſe doluit de eo ipſo, quod filius hic podagrae tam impatiens fuerit, cauſamque morbi praeſentis in ſuppreſſam eandem, et forte non vane, reiecit. Hoc potus genus, ſi recte coniicio, medicus quidam, qui Poterii obſeruationes admiratur, ipſi commendauit, conf. ſi placet, *Poter. oper. c. not. Hoffm. pag. 389.*

Praxis Stahliana, das iſt, Herrn Georg Ernſt Stahls, Königl. Preußiſchen Hofraths und Leib-Medici, Collegium Practicum, welches etc. i. e. Domini GEORGII ERNESTI STAHLII, Conſil. aul. et Archiatri primarii Regii Boruſſici, Collegium Practicum, quod partim ab ipſo in calamum dictatum, partim ab eiusdem tunc auditoribus e diſſerentis ore ſingulari cum ſtudio calamo exceptum olim fuit. Nunc autem e latino in germanicum translatum idioma, et permultis annotationibus ac ratiociniis confirmatum et illuſtratum, ad praeſcriptum etiam Dom. Autoris ſecunda hac editione plurimum auctum et emendatum, editus a D. JOH. STORCH, alias HVLDERICO PELARGO, Medico aulico Principis, et Phyſico ciuitatis Iſenacenſis. *Lipſiae* impenſ. Caſpar. Jacob. Eyſſelii 1732. 4*to.* Alph. 8. pl. 1. cum dim.

Prodiit nimirum prior vtiliſſimi huius operis editio anno 1728. alph. conſtans 7. et pl. 9. vt ita inſigne eidem acceſſiſſe augmentum vel ex iis pateat, quae in D. D. I. C. GOETZII *Hiſtor. Script. Stahl. Supplem. I. p. 190. n. CCLXXXI. et p. 210. n. V.* iam recenſita. Eſt au-

autem Collegium Therapeuticum ſpeciale D. D. STAHLII *l. c. p 180. n. XIX.* indicatum, & praeter prolegomena et praecognita practica, ſex abſoluitur ſectionibus, quarum I. agit *de ſanguinis vitiis indeque pullulantibus variis morbis*, et quidem membro α) de ſanguinis abundantia; β) de haemorrhagiis, vbi articulus 1) de haemorrhagia in genere; 2) de haemorrhagia narium; 3) de haemorrhagia poſt dentium euulſionem; 4) de Haemoptyſi; 5) de vomitu cruento; 6) de fluxu haemorrhoidali; 7) de mictu cruento; 8) de menſium fluxu nimio; 9) de haemorrhagia vteri; 10) de ſanguinis fluxu e cruribus ſeu varicibus, tractat. γ) de ſanguinis euacuationum promotione. δ) de congeſtionum ſanguinis medicatione. ε) de ſanguinis defectu. ζ) de inflammationibus. η) de febribus in genere, nimirum artic. 1) de febribus contagioſis; 2) de febribus malignis; 3) de febribus acutis benignioribus; 4) de febribus bilioſis, ardente, cholerica; 5) de febribus acutis ſimplicioribus; 6) de febribus compoſitis: 7) de febri hectica; 8) de febrilibus ſymptomatibus; 9) de febribus intermittentibus. Sect. II. *de ſeri vitioſi correctionibus et medicationibus* membr. α) de cachexia; β) de tumoribus hydropicis, artic. 1) de aſcite; 2) de oedemate; 3) de anaſarca. γ) de catarrhis, art. 1) de grauedine et coryza, et generatim tuſſi; 2) de tuſſi humida; 3) de catarrho ſuffocatiuo. δ) de ſcabie; ε) de lue venerea. Sect. III. *de motuum vitiis:* membr. α) de motibus ſpaſticis et conuulſiuis: β) de motuum defectu: art. 1) de paralyſi; 2) de apoplexia; 3) de lipothymia et ſyncope; 4) de methodo et cautelis circa anodyna. Sect. IV. *de ſenſuum internorum vitiis:* membr. α) de laeſionibus memoriae; β) de phantaſia, ſeu deliriis: artic. 1) de phrenitide et deliriis phreneticis; 2) de deliriis melancholicis; 3) de rabie canina ſeu hydrophobia. Sect. V. *de puerperarum curatione.* Sect. VI. *de infantum cura.* Conſtat autem haec praxis theſibus a D. D. STAHLIO in calamum dictatis; his ſingulis ſubiectus eſt diſcurſus Dom. Autoris, easdem fuſius explanans, atque ab auditoribus ſuis calamo exceptus; et hunc denique ſequuntur annotationes D. D. STORCHII potiſſima, tum theſium, tum diſcurſus, momenta vlterius illuſtrantes, confirmantes et ſupplentes. Jure vtique ſuo locupletiſſimus praxeos medicae promus condus dici poteſt, in quem cl. D. D. STORCH omnia, quaecunque ad medicum pium, eruditum, ſolidum, dextrum et exercitatum formandum conferre, eumque in difficillimis etiam caſibus inſtruere queant, e probatiſſimis cuiusuis aeui ſcriptoribus et ipſa ſua diuturna et felici praxi, indefeſſa opera, limato iudicio, et eleganti ordine collegit et concentrauit, vt ita bibliothecae inſtar medico-

pra-

practicae inseruire, et non solum veteranis practicis multo vsui esse, sed et in limine constitutis vix ac ne vix quidem deesse queat. Testatur etiam vel sola prioris editionis celerior, quam sperari poterat, consumtio, non displicuisse eruditis hunc laborem; quapropter commodissime secunda eius adornata editio est; quam insigniter quoque emendatam et auctam ipsa autopsia docet. Accesserunt scilicet ipsius Ill. D. D. STAHLII monita quaedam, ea, quae b. D. D. JOH. KANOLDVS ex ipsius Autoris ore hausit et consignauit; vel sola XV. plagas explentia; plura ex vtroque Collegio Casual. D. D. STAHLII, et permulta denique, tum ex aliis scriptis praestantissimis, tum ipsius D. D. STORCHII multiplici et felici experientia; in calce vero addita est instructio de sale cathartico amaro Creuzburgensi, de quo iam *Commerc. huius Litter. Specim. XXXII. p. 250. n. III.* egimus. Cum caeterum cl. D. D. STORCHIVS aliquot iam abhinc mensibus nos certiores reddiderit, annum suum Medico-practicum V. et VI. sub prelo tunc sudare, nulli dubitamus, quin nundinis hisce vernalibus illud reliquerint. Vlteriora autem de laudatissimi huius scripti annis quatuor prioribus, aliisque huius Autoris lucubrationibus, reperiri poterunt in superius citata D. D. J. C. GOETZII *Hist. Script. Stahl. p. 170.* et *Suppl. I. p. 210.* sub nomine PELARGVS. Quod superest vitam a clementissimo Numine ac vires Illi precamur, vt concinnandis perficiendisque pluribus argumenti similis, hoc est, vtilissimi, scriptis, praesertim autem illi de morbis et cura infantum, sub finem huius praxeos Stahlianae promisso, vacare possit.

LIBRI NOVI.

I. Traité des Operations de Chirurgie etc. i. e. tractatus de operationibus chirurgicis, fundatus in mechanismo organorum hominis, et theoriae ac praxeos auctoritate maxime munita. Locupletatus curationibus valde peculiaribus, nec non figuris aeneis, repraesentantibus encheireses operationum, per RENATVM JACOBVM CRESCENTIVM de GARENGEOT, artium et chirurgiae magistrum, demonstratorem regium in rebus chirurgicis, et membrum societatis Regiae scientiarum Londinensis. Secunda editio reuisa, correcta et aucta ab Autore. Tomus I. *Parisiis in vico S. Jacobi* apud Huart 1731. 12. pag. 476. c. tabb. 5. Tomus II. pagg. 468. cum Tab. 8. Tomus III. pagg. 472. cum Tabb. 11.

II. Dissert. inaugur. qua *febris tertiana ob Empyema e vomica pulmonis rupta in cauitatem pectoris dextram effusum, indeque pulmonem huius lateris compressum, penitusque ab officio remotum, mortem post se relinquens* exponitur. Praes. ABRAH. VATERO. Resp. JOH. EPHR. MVTILLET. *Vitemb.* mens. Mart. *4to.* 173. pl. 4. cum dim. c. fig. 1.

III. Specimen med. inaugurale sistens *stupendum abdominis tumorem.* NICOL. WILLIVS Müllhusino Helu. *Basileae* d. 10. Jul. 1731. *4to.* pl. 5. cum dim. cum tab. aen.